



EX-LIBRIS

ÍSLENZKIR ANNÁLAR

SIVE

ANNALES ISLANDICI

AB ANNO CHRISTI 803 AD ANNUM 1430.

EX LEGATI ARNÆ-MAGNÆANI ET MAGNÆ BIBLIOTHECÆ REGIÆ HAFNIENSIS MELIORIS NOTÆ CODICIBUS MEMBRANACEIS ET CHARTACEIS, CUM INTERPRETATIONE LATINA, VARIIS LECTIONIBUS, PROLEGOMENIS, NEC NON INDICE PERSONARUM, LOCORUM & RERUM.

HAFNIÆ.

SUMPTIBUS LEGATI ARNÆ-MAGNÆANI.

TYPIS J. H. SCHULTZ.

1847.

ÍSLENZKIR ANNÁLAR

SIVE

ANNALES ISLANDICI.



SUMTIBUS LEGATI ARNÆMAGNÆANI.

L. B.

Postquam plures historiae Islandicae, tota Edda Saemundina, praeterea duo ex gravissimis antiqui septentrionis monumentis legalibus collegii nostri cura in lucem prolata sunt, nunc primum prodeunt Annales Islandici, coacti in unum corpus harmonicum, quod quingentos fere annos medii aevi septentrionalis complectitur. Hujus rei consilium et ratio jam exeunte proximo seculo inita est. Nam quum, editis (in Scriptoribus rerum Danicarum, Tom. II—III; annis 1773—74) duobus libris annalium islandicorum, quorum alter — qui dicuntur Annales Regii — unus est ex gravissimis et antiquissimis, non alienum fuisset, eum etiam annalium librum, qui et copiosior est et majoris temporis spatium comprehendit — Annales Flateyenses — aut illi monumentorum historicorum corpori inserere aut separatim edere: tamen, re accuratius perpensa, studiis historiae septentrionalis magis consultum iri credebatur, si omnia, quae in antiquissimis annalibus ad res septentrionales pertinent, in unum conjungerentur. Quam ob rem, P. F. Suhmii consilio et Abr. Kallio rem moderante, opus praeparari et typis excudi coeptum est. Sed variis de causis, quae in disputatione proxime sequente accuratius exponentur, editio interrupta est. Kormaki autem vita (Kormaks saga) anno 1832 edita, collega noster, b. m. P. E. Müllerus, hortatus est, ut ad editionem annalium Islandicorum iterum accederemus. Quum autem quae jam typis exscripta erant incendio Hafniensi a. 1795 consumta essent, res ipsa quodam modo monebat, criticam in annalium editione curam esse renovandam; sed quum periculum esset, ne in tanto opere, quo fortasse nihil in veterum scriptorum Islandicorum, quae quidem historiam attingunt, tractatione operosius et difficilius, et nimis longum temporis spatium consumeretur et fere omnis stipendiariorum opera, quam etiam aliae res, quas collegium nostrum jam ag-

gressum erat, exigebant, constitutum est iis, quae jam adornata erant, subsidiis uti ad edendum opus, investigatoribus earum rerum, quae ad historiam terrarum septentrionalium pertinent, jam diu exspectatum. Quanquam enim negari non potest, praeter annalium editiones, quae, ut supra diximus, Scriptoribus rerum Danicarum insertae sunt, et in Torfaei, F. Johannaei, Suhmii, Espolini majoribus operibus, et in minoribus de aliqua speciali materia scriptis, quorum posthac, in commentatione de annalibus Islandicis, mentio fiet, jam non exiguam partem argumenti horum annalium esse propositam: tamen et multa restabant et magnam utilitatem habiturum videbatur, si omnia, quae in his historiae fontibus ad res regnorum septentrionalium, a seculo nono ad initium quinti decimi, illustrandas pertinent, simul oculis subjicerentur. Tale igitur opus hominibus doctis jam offerimus. Quod si aliquando conducere judicabitur, novam annalium Islandicorum, argumento eorum retractato, editionem criticam conficere, sperandum est, id vel a nostro collegio, vel ab aliis præstari posse.

Alteri scripto (Járnsíða), quod eodem atque hoc tempore profertur in medium, subscripsit collega noster, Finnus Magnaeus, qui jam discesserat e vita, antequam etiam hic collegarum nominibus addere posset suum. Luget igitur Islandia, quam patriam habuit, jacturam filii sibi deditissimi. Docti in Dania homines; historiae septentrionalis, et qui in septentrione et qui extra sunt, studiosi; collegium nostrum, quod eum per viginti quinque annos socium habuit — omnes pariter lugent, exstinctam esse vitam, quae tam diu et cum tantis fructibus antiquitatis septentrionalis inquisitioni consecrata fuit. Iis praecipue rebus, quae nostro Collegio propositae sunt, ad extremum vitae finem consilio et opera inserviit. Quis igitur non dolebit, eum non superstitem fuisse, donec confectum et absolutum videret opus, quod summo studio amplexus est, primam editionem criticam totius Eddae Snorrianae, cujus pars prima, ut certo confidimus, jam anno proxime venturo, in lucem prodibit.

Dabamus Hafniæ d. 30^mo Decembris 1847.

A. S. Örsted. Werlauff. Engelstoft. Rafn. Kolderup-Rosenvinge.

De Annalibus islandicis,

inprimis de illorum, quæ hic prodit, editione.

Auctore *E. C. Werlauff.*

Multae sunt rationes, qnibus comprobari videatnr, scriptionem historiarum apud Islandos ortam esse a chronicis commentariolis de personis et rebus memoria dignis, quum in ipsa Islandia, tum in reliquo septentrione, praesertim Norvegia, unde maxima Islandorum pars originem traxit. Nec vero tale scribendi genus, ad quod non solum minore doctrina, sed etiam scribendi apparatu tenuiori opus erat, ab illis temporibus abhorrebat, quum humanus civilisque cultus incunabula vix reliquisset. Dum vero deinceps historiae (*Sagæ*) componebantur, continuabatur simul confectio annalium, quæ multa servare possent, quibus, quum minoris essent momenti, in historiis locus non esset, quae saepe ad epicam et dramaticam rationem propius accedunt. In annalibus quoque et tempora definiri, quod in antiquioribus historiis raro fit, et memoria rerum gestarum ad fastos temporumque computationem quodammodo referri potuit, quibus studiis Islandi mature multum delectati sunt.

Ut septentrionalis poësis, sic etiam historia apud Islandos ex communi vita profluxit atque diu, antequam membranis committeretur, alis, ut ita dicam, memoriae vecta per ora hominum ferebatur. Quare antiquissimis et optimis historiis auctores, qui proprie sic appellari possint, quaerendi non sunt. Vel clarissimi inter veteres Islandos historiarum scriptores operam fortasse in eo tantum posuerunt, ut res ipsas per plura secula memoria traditas retractarent et in ordinem redigerent. Sin vero pleraque haec scripta, in quibus non solum aptam et luculentam singularum personarum rerumque descriptionem, sed etiam universe propriam quandam narrandi artem mirari cogimus, ad nos sine auctoris nomine pervenerunt (quod nemo componendi laudem sibi soli arrogare potuit), eo minus sperare possumus, eorum nomina indagatum iri, qui, vel in coenobiis, vel in praediis suis, res, aut re vera, aut ipsorum saltem

judicio, memoratu dignas paulatim in commentarios retulerunt, qui, si semper ad historiae septentrionalis cognitionem vel maxime utiles et necessarii futuri sunt, tamen non arti, sed industriae tantum, originem debent *a*).

Nihilo minus improbabile non est, vetustissimos Islandorum annales *Ario* quoque *multiscio* deberi, quum ejus propinqui atque alii ex libro ejus, qui *Schedae* inscribuntur, noti praecipue commemorentur in annalibus (Annis 1072, 73, 76, 1110, 12) usque ad mortem ejus anno 1148 *b*). Arii vero aequalem *Saemundum multiscium* scripsisse primam partem annalium, qui *Oddenses* dicuntur *c*), quique a posteris ejus (Oddanis) sunt continuati, posteriore tempore quidam crediderunt *d*); sed ea, quibus haec sententia potissimum nitatur, fortuita videntur, ut quod constat libros quosdam historici argumenti ab eo relictos esse *e*), quodque Oddensis fundus, per longum tempus, dum a Saemundi posteris possidetur, pro doctrinae, historicae praesertim, quasi quodam repositorio officinaque historiae septentrionalis elaborandae haberi potest, denique quod semel in his annalibus (ad annum 1048, p. 44 infra) testimonium ejus nominatim affertur. Utrum vero Saemundus chronicos quosdam commentarios reliquerit, et factum illud in aliquo de scriptis ejus historicis, quae nunc fortasse perierunt, relatum sit, ad liquidum perduci non potest; nec magis constat, eane litteris unquam consignata fuerint, quae a Sturla Thordi filio (p. 128, ad annum 1259) et a Laurentio episcopo (p. 174, ad ann. 1299) et a Grimo Juvene (*hinum unga*), homine ceterum ignoto, (p. 204, ad ann. 1313) *f*), narrata esse traduntur. Ita unus tantum relinquitur,

a) Uno tantum loco in his, qui sequuntur, annalibus, p. 252 (ad ann. 1339), scriptor commentariorum de se in prima persona loquitur.

b) *Grönlands historiske Mindesmærker* II p. 577—79, III p. 1—2. Quin etiam *Björn* de *Skarðsá* Ario multiscio atque posteris ejus Annales Flateyenses tribuit (praefat. Annalium *Björnonis de Skarðsá*, p. 4), ad quod *Torfaeus* (Hist. Norv. I, praef. fol. B, I) jure notavit: "Unde haec habuerit, non perinde liquet."

c) A patrio Saemundi praedio, quod *Oddi* (Lingula) appellatur; est enim situm inter duos fluvios, quorum utrique nomen est *Rangá*, in Rangaensi toparchia Islandiae meridionalis. Hic autem fundus nostris quoque temporibus sedes est sacerdotum. Cfr. *Grönlands historiske Mindesmærker* I, 23.

d) Saemundi vita, ab *A. Magnaeo* conscripta, Eddae Saem. praemissa, p. XXIV; *Torfaei* Series reg. & Dynast. Daniæ, p. 40 59; ejusdem Hist. Norv. proleg. l. c.; *Björn de Skarðsá*, l. c. p. 4.

e) Vita Saemundi p. 4 sq. Huc potissimum videtur pertinere cognomen ejus *hinn fródi* (multiscius); cf. *Werlauff* de Ario multiscio p. 11. Sententia eorum, qui Annales oddenses a Saemundo inchoatos putant, improbatur a *Finno Johannaeo* (Hist. eccles. Isl. I, 199), *H. Einari* (Hist. litter. Isl. p. 130), *Schlözero* (Isländische Litteratur und Geschichte I, 165 sq.)

f) Ad annum 1471 in Cod. N. Johannes episcopus et Sigurdus Lopti filius sacerdos (qui anno 1378 obiit) auctores citantur, rem quandam mirabilem, cujus postea mentio fiet, Romae accidisse.

cui aliquid ex vetustis Islandorum annalibus tuto ascribi posse videatur, sacerdos nimirum *Einarus Haflidi* filius (nat. 1307, mort. 1393), cujus vita in annalibus prolixe narratur *g*), quique auctor habetur chronicorum, quae *Lögmanns-annálar* inscribuntur de quibus posthac plura.

Illud quoque, ex prologo codicis Flateyensis, qui de hujus codicis scriptoribus agit, satis probabile fit, auctorem *Annalium Flateyensium* esse sacerdotem *Magnum Thorhalli* filium *h*), de quo praeterea nihil constat, quum tamen vix dubium sit, quin alter horum, quos dixi, scriptorum, Johannes Thordi filius, in annalibus commemoretur *i*). Haud longo post tempore, circa initium seculi XV, credibile est, seriem vetustorum annalium islandicorum desiisse, ut *Björno de Skarðsá* judicavit *k*).

Quod si igitur nomina eorum, qui vetustos annales islandicos literis mandarunt, pleraque ignota sunt, tamen pro certo haberi potest, hos annales et a pluribus deinceps confectos esse et universos sacri ordinis hominibus deberi *l*). Illud ex archetyporum diversis manibus et vario scribendi genere atque omnino ex annalium comparatione apparet; hoc efficitur, quum e fastorum cognitione et temporum computandorum scientia, medii aevi propria, quam annales prae se ferunt, tum ex historiae universalis conspectu, interdum latine scripto, qui quibusdam annalibus (v. c. Regiis) praemittitur, ut frequentes voces et periodos latinas taceam (ex. gr. p. 18, 22, 118, 208, 216, 222, 224, 228, 234, 250, 260, 320, 334).

Quae vero quidam annalium scriptores ex universa historia vel ante Christum natum vel primis seculis aerae christianae gesta litteris mandaverunt eatenus nobis usui sunt, ut nobis aspiciendi facultas detur, quae fuerit veterum Islandorum doctrina

g) Vidd. indices, et hujus annalium editionis, et *Espolini* chronicorum (*Árbækur Espólíns*); conf. *F. Joh.* H. eccl. Isl. I, 592, et *H. Einari* Hist. litt. Island. p. 132. —? De annalibus vero ab Einaro Haflidi filio compositis, qui *Lögmanns-annálar* inscribuntur, (N. 420), quaedam posthac dicentur, ad quae lectores ablegatos velim.

h) Cf. *Müllers* Sagabibliothek III, 439.

i) In his enim (p. 320) commemoratus sacerdos quidam, Johannes Thordi filius, qui anno 1369 mortem obierit, atque alius praeterea (p. 364) et nominis ejusdem et ordinis, qui anno 1394 in Islandiam venerit.

k) Vidd. *Björnonis de Skarðsa* Annales I, praef. p. 3: "Duravit iste historias et *annales* conscribendi Islandorum consuetudo usque ad saevissimam, quae in universum septentrionem, et quidem in Islandiam A. 1350, grassata est, pestem . . . . . attamen nonnulla *annalium* vestigia in Islandia ad a. fere 1400 inveniuntur, quo anno dira oborta est contagio multorumque hominum nece famosa, quae historiarum *annaliumque* cursum, quoad mihi innotuit, omnino interrupit, vastae cognitionis viros, qui hujusmodi lucubrationibus invigilaverunt, e medio tollendo, superstitibus opus intactum relinquentibus" et p. 9: "Neque sola est *annalium* interruptio, qua rebus islandicis infesta fuit saevissima, qvam memoravimus, contagio, sed ejus quoque vestigia agnoscimus in navigationis, nostratibus, dum propriis invecti navibus exteras petiverunt regiones, eo usque familiaris, interitu totali."

l) Cf. *Grönl. hist. Mindesmærker I*, 21 sq.

et externarum litterarum cognitio. Ne illa quidem, quae de regnis septentrionalibus usque ad exitum seculi undecimi traduntur in chronicis, magni momenti sunt, quum maximam partem debeantur non solum *Adamo Bremensi* (Brimabók; chronica Bremensium p. 8) *m*) et *Saxoni* (p. 28, 32, 44), sed etiam *Alb. Crantzio* (p. 28), vel historiis islandicis, quae etiam nunc exstant, quumque haec annalium pars et in annis et in hominibus et in rebus multos errores habeat.

Annales igitur islandici tantum pro historiae fontibus haberi possunt, primum quod ad ipsam Islandiam pertinet, cum Groenlandia et Vinlandia, quarum illa directo, haec per Groenlandiam, ab Islandia colonos accepit, tum etiam in rebus regnorum septentrionalium, Norvegiae, Daniae & Sueciae, quatenus annales aut res hic gestas servant, quarum notitia sine eorum ope nunquam ad nos pervenisset, aut quaedam, quae minus certa sunt, confirmant, aut annos accuratius definiunt.

Facile autem intelligitur, annales in rebus domesticis, id est, islandicis et copiosissimos esse et fide dignissimos. Nam quum chronographi ea litteris mandarent, quae ipsi viderant vel experti erant, quorumve participes fuerant, quaeque in ipsorum propinquitate acciderant: in his omnibus rebus testes locupletissimi habendi sunt. Debemus his multa, eaque memoratu digna, quae ipsae historiae aut praeterierunt aut ad certos annos non retulerunt, ut omittam, ubi historiae fere desinant, annales quodammodo obtinere earum vicem. Quae sic discimus partim rem publicam attingunt, ut episcoporum, nomophylacum aliorumque, qui publicis muneribus fungebantur natales, mortes, itinera, munerumqve mutationes, partim ad rerum naturam pertinent, quorum alia pluribus terris communia erant, ut cometae, solis et lunae defectus, alia ad ipsam tantum insulam pertinebant, ut incendia terrae, eruptiones ignium subterraneorum, asperae mitesve hiemes, annonae gravitas, pestilentia in hominibus et pecore, partim ad commercium cum exteris nationibus spectant, ut naufragia, discessus et adventus navium, partim varia ex vita et religione communi nobis ante oculos sistunt, ut scelera et maleficia, somnia, fabulae de lemuribus *n*) & talia plura.

m) Ex hujus libris plura etiam afferuntur, omisso auctoris nomine, ut p. 12 (884), de Danis adverso flumine Rheno subvectis, p. 14 (902), de bello inter Danos et Arnaldum (Arnulfum) imperatorem.

n) Ex hac parte indoles annalium islandicorum, origine tamen et consilio eorum non recte definito, in *F. Johannaei* Hist. eccl. Isl. IV, praef. fol. 6, 34, his verbis describitur: "Praeterea in plerosque eorum (annalium) auctores saepius haud parum excandui, quod res exteras, v. gr. germanicas, gallicas, anglicas, imo etiam turcicas, anxie satis conquisiverunt et annotarunt, domesticarum fere obliti, et, ubi has forte tangunt, contenti sunt scripsisse hunc vel illum episcopum, abbatem, sacerdotem, etc., inauguratum, depositum ab officio aut mortuum hoc anno fuisse, et id quidem non semper; quandoque enim consecrationem hujus vel illius narrant, sed nunquam ejus mortem aliasve res gestas, et contra. Pari modo unam alteramve causam vel litem forensem, quam a persona vel loco aliquo denominant, haud raro memorant; sed quae ejus occasio et materia, quae circumstantiae quique exitus fuerit,

Quamvis narrationes, quae ad ipsam Islandiam pertinent, interdum haustae sint ex historiis recentioribus, ut Laurentii (p. 174) et Arnae episcoporum, ex versibus, ut Sniolvi (p. 306) ad annum 1362 *o*), ex litteris et instrumentis publicis, ut Pontificis romani (p. 290) ad annum 1357: nihilo tamen minus statuendum est, majorem partem rerum islandicarum ex ipsa auctorum memoria profectam esse. Quum vero hae res tempore et loco, quo acciderunt, omnibus notae esse credi possent, quumque fortasse auctor interdum tantummodo servare vellet memoriam earum rerum, quae vel ad ipsum vel ad eos, qui aliquo modo cum eo conjuncti erant, pertinerent: talia hic illic significantur vel uno tantum verbo vel manca aliqua sententia, quae nobis haud raro adeo obscura sunt, ut pro aenigmatis habenda sint, de quorum sensu conjecturas tantum proferre possimus. Exemplo sint: *grímuþröng* (p. 56, ad annum 1123); *naustabrenna* (p. 64, ad annum 1156); *Karlshrið* (p. 68, ad annum 1164); *Risamál* (p. 112, ad annum 1239); 10 *setur* (p. 108, ad annum 1234). De his et similibus locis, quae aliqua obscuritate laborant, quaedam posthac annotabuntur. Interdum una res a chronographis diverso modo accipitur, ex. gr. p. 220-22 (1326) de aede Breidabolstadensi, ubi noster *Joh. Sigurdi* quae posteriore loco afferuntur recta esse putat.

Quum antiquissima colonia Europaeorum in Groenlandia ex Islandia oriunda esset, quumque illa postea, sicut et haec, subjecta esset imperio regum Norvegiae, et quum, quamdiu mansit, partim mercatura, partim alia ratione, perpetuum inter utramque terram commercium esset: dubitari non potest, quin omnia, quae in annalibus Groenlandiam attingunt, proxime debeantur hominibus, qui illis temporibus aequales ipsarumque rerum participes fuerint *p*).

Quemadmodum Islandi, si ipsorum patriam exceperis, in historia Norvegiae, unde orti erant, omnino plurimum studii posuerunt, sic etiam annales multa continent, quae ad res hujus regni illustrandas magni momenti sint, ab eo praesertim tempore, quo series historiarum regum Norvegiae desinit. Jam enim nullos fere fontes habemus, praeter litteras publicas et annales islandicos. Fieri etiam potest, ut unus vel alter chronographus integra usus sit Magni legum emendatoris historia, a Sturla Thordi filio composita, quae nunc fere tota interiit *q*). Islandis autem, propter quen-

ne verbum quidem afferunt, quasi eos rerum patriarum puduerit vel dedecori duxerint talia notare; quae eorum jejunitas facit, ut temporum antiquiorum notitia, quatenus hanc ex eis, vel solis, vel maxima ex parte, petere necesse est, non nisi arida, hiulca et imperfecta prodire possit. Ignoscendum tamen hoc aliquomodo veteribus, quibus papyri defectus librorumque caritas talia in scribendo compendia sectandi necessitatem imposuerunt." Cf. *Espólín* Íslands Árbækur I, 39.

o) De quo poëta nihil praeterea constat. "Sá maðr, er Snjólfr hèt" (vir quidam, cui Sniolvo nomen erat). *Espólín* Árbækur I, 94.

p) Cf. *Grönlands hist. Mindesmærker* III, 47, 463.

q) P. 82 (1202) citatur historia Sverreri.

dam nexum, quem et mercatura et res ecclesiasticae crebraque Islandorum, et poëtarum et aliorum hominum litteratorum, in Norvegiam itinera inter hanc et veterem ejus coloniam diu servaverant, jam antequam haec cum illa arctius conjuncta est *r*), nunquam non erat facultas cognoscendi, siquid gravius memoriave dignum in Norvegia acciderat; postea vero, quum insula imperio Norvegiae subjecta esset, necesse erat, Islandi majori etiam quam antea studio ejusmodi res observarent *s*).

Varia Norvegiae commercia cum ceteris duobus regnis septentrionalibus, Dania et Suecia, occasionem dederunt chronographis Islandis res quoque in his terris gestas memoriae mandandi, quarum notitia, partim ex fama et sermone, partim quidem ex scriptis monumentis facile hauriebatur *t*).

Neque tamen mirari debemus, si in narrationes de rebus danicis et svecicis errores facilius irrepserunt, quam in eas, quae Islandiam aut Norvegiam attingebant. Ex hoc genere errorum, qui tamen interdum posteriorum temporum interpolationibus ascribi debent, hi loci afferri possunt: p. 10 (ann. 868), ubi Gormo, Haraldi caeruli-dentis patri, cognomen Anglus tribuitur *u*); p. 88 (a. 1210) de expeditione Valdemari secundi in *Frisiam* et Samlandiam *v*); p. 92, ubi XXII episcopi dicuntur affuisse, quum rex Valdemarus junior, anno 1218 *x*) Slesvisi coronaretur; p. 182, ubi cognatio inter Valdemarum Birgeri filium, Sueciae regem, et hujus (non filium, sed) fratris filium, regem Birgerum, prave definitur; p. 186 (a. 1305), ubi Birgeri, Sueciae regis, frater (minor natu) falso Magnus nominatur, quum nomen ei fuerit Valdemari, et alteri fratri, qui natu major erat, Erico, Haconis quinti, Norvegiae regis, genero (non tamen ante annum 1312), itidem falso Magni nomen inditum est; p. 288, ubi et mors Christophori (secundi) Daniae regis et (filii ejus) Valdemari regni initium ad annum 1356 refertur; p. 314, ubi (in annali II) Magnus Smæk usque ad mortem suam in custodia retentus esse dicitur, quum contra anno 1371 inde emissus et in Norvegia anno 1374 mortuus sit (cf. p. 326, ad ann. 1375); p. 350 (ad ann. 1391) et 386 (ad ann. 1412), ubi Ericus Pomeranus reginae Margaretae sororis filius fuisse dicitur, quum esset sororis ejus ex filia nepos.

r) Cf. *P. E. Mülleri* Sagabibliothek III, 4-8.

s) Sic dubitandum non est, quin diligens de atra (quae dicitur) peste per Norvegiam, anno 1349, grassante narratio debeatur hominibus, qui praesentes affuerint. Cf. *Grønl. hist. Mindesmærker* III, 54.

t) p. 326 (ad 1376) per occasionem mortis Valdemari regis Christophori filii citatur *Dana Saga*, quod singulare aliquod scriptum, quod nunc interierit, videtur fuisse, nisi Danorum historia in universum intelligitur.

u) Cf. *Suhm* Krit. Hist. af Danmark III, 917, 953.

v) Cf. *Suhm* Danmarks Historie IX, 170.

x) Cf. *Suhm* l. c. p. 309.

Annalis L. (No. 417), quum, (p. 44), *Saxonem* citet auctorem, Magnum Bonum in Suecia equo corruente exanimatum esse, rem recte non tradit; *Saxo* (ed. *P. E. Mülleri*, p. 545) enim disertis verbis nominat "oppidum Alexstadiam" (i. e. Alsted in agro Alstediano in Selandia), ubi "deturbato . . . equo, trunco . . . adactus" exstinctus sit.

Quod annorum numeri, si priora tempora spectes, haud raro depravati sunt, non est cur miremur, quum illa a chronographorum aetate tam longe remota essent. Saepius etiam iis ipsis temporibus, ad quorum historiam cognosceudam annales pro fontibus haberi possunt, horum authores quoad annos inter se discrepant. Sic refertur in annalibus Flateyensibus, (hic p. 70), mors Olavi Gudbrandi filii ad annum 1169 (quod fortasse rectius) et 1170; p. 78 et 80 praelium in *Strindsæ* ad annos 1194 & 1199; p. 102 & 104 *þingit fjölmenna* (frequens ille conventus) ad annos 1228 & 1229, itemque mors Eyolfi Thorsteini filii; p. 258 & 262 mors Thorsteini Nicolai filii in annalibus Flateyensibus ad annum 1342, in aliis ad 1343; p. 286 mors Olavi Bjarnii filii in quibusdam ad annum 1352, in aliis ad 1354; mors Arngrimi abbatis in quibusdam annalibus (p. 302) commemoratur ad annum 1361, in aliis (p. 310) ad 1362; mors Thorsteini Halli filii p. 304 ad 1362, p. 312 ad 1363. Externorum locorum nomina facile corrumpi poterant, velut p. 168 (1293), ubi Brus, in Scotia, depravatum est in Brúnsvík.

Necesse est, annales islandicos praecipuos fontes fuisse recentiorum librorum, qui veterem Islandiae historiam tractarunt, ut *Arngrimi Jonae y*) et praecipue *Finni Johannaei z*). *Torfaeus* etiam quibusdam ex iis annalibus, qui maximi momenti sunt, diligenter usus est, quum in historia Norvegiae *æ*), tum in iis scriptis, quae de provinciis Norvegiae agunt *ö*). Nec vero quemquam fugisse potest, qui magnum illum et copiosum thesaurum rerum septentrionalium, *Suhmii Historiam Danicam* noverit, quam multa in hoc opere quantaque cum diligentia hausta sint ex annalibus islandicis, ne-

y) Eum in Crymogaea, p. 206 et seq. *annalibus regiis* usum esse, concludi potest ex p. 209, ubi qui ab eo, ad annum 1272, commemorantur annales hi sint necesse est. Cf. *Scriptores rer. Dan.* III, 112.

z) *Hist. eccles. Islandiae* IV, praef. fol. b, 2 sq.

æ) Tom. I. Prol. fol. B. 1, ubi annales Flateyenses commemorantur. Cf. Torfesens Levnet af *J. Erichsen* p. 114.

ö) Comm. de rebus gestis *Faereyensium* — in calce Episcoporum Faereyensium index, ex *antiquis annalibus* (scil. *Annalibus Regiis*); *Orcades* praef. fol. d, 1 (*Annales Regii* et *Flateyenses?*); *Gronlandia antiqua* p. 241 (catalogus episcoporum Gronlandiae cet. ex *annalibus*). In *catalogo monumentorum islandicorum inserto Serici dynastarum et regum Daniae*, p. 4 et 8 tantum commemorantur annales *Flateyenses* et *Oddenses*; p. autem 11 additur: "extant etiam . . . . . . alii vetusti *annales*, quos, quum anepigraphi sint, distinctius nominare nequimus;" cf. p. 41, ubi *Annales Regii* soli commemorantur.

que ex editis solum, sed etiam ex iis, qui etiamtum typis excusi non erant *a*), quanquam non semper ex apographis fide dignissimis nec necessaria crisi adhibita *b*). Sed praeter ejusmodi opera, quae latius patent, alia quoque sunt scripta, singularis argumenti, quae res islandicas aliquatenus attingunt, quorum auctores appareat multis annalium praecipue usos esse, et ita, ut quosdam eorum locos simul illustraverint.

Talia sunt:

1. *Um mannfœckun af hallœrum á Islandi*, scriptum ab *Johanne Finnæo* (episcopo Scalholtensi, † 1796) atque insertum *Hins íslenzka lœrdómslista fèlags rit* XIV, p. 30-226. *c*)

In hoc libro, praeter *Annales Vetustissimos* et *Regios*, qui utrique in *Scr. rer. Dan.* II-III editi sunt, atque annales *Björnonis de Skarðsá* (Hrappsey, 1774-75), ex annalibus etiamtum typis non editis, qui ad hoc temporis spatium pertinent, quod nostra editio complectitur, id est, usque ad annum 1430, nonnullos a se adhibitos esse auctor fatetur. Sunt vero ii:

a. Annales Flateyenses.
b. Annales Medii, qui, ut Finnaeus p. 40 dicit, ab aliis *Skálholts annáll styttri* sive Annales breviores appellantur, quemadmodum etiam in *F. Johannaei* Hist. eccl. IV, praef. fol. b, 3, Annales breviores. Asservantur autem in collectione codicum Arnamagnaeana, nro. 417, atque in nostra editione littera L notati sunt.
c. Annales Reseniani; cf. *F. Johannaei* Hist. eccl. l. c. Arnamagn. 424. Hic K.
d. *Austfjarða annáll* (Annales Austfjardenses sive Islandiae orientalis).
e. *Skálholts annáll* (Annales Scalholtini). Arnamagn. 411. Hic G.
f. Annales vetustiores. Arnamagn. 420. Hic D.
g. *Biskupa annáll Jóns prests Egilssonar*, i. e., Annales episcopales a sacerdote Johanne Egili filio conscripti, quibus revera Hungrvakam, quae anno 1193 desinit, usque ad sua tempora (initium seculi XVII?) continuavit. *d*)
h. Fragmentum annalium. Arnamagn. nro. 423. Hic N. *e*)

a) Cf. *Hist. af Danmark* XIV, praef. p. XI.

b) Vid. VIII, 178; IX, 678.

c) Hoc utile et copiosum scriptum, notis adauctum in Danicum sermonem conversum est ab *Halldoro Einari* filio, qui antea (cf. p. 24—26) stipendiarius Magnaeanus fuit, post vero, donec anno 1846 mortem obiit, toparchiae Borgarfjardensis praefectus. Quae interpretatio et inserta est menstruis *Rahbekii* actis *Tritogeneia* dictis, I, III, V—VII, et separatim typis excusa, Hauniae 1831.

d) De his annalibus, quos, hortante episcopo Scalholtensi, Oddo Einari filio (qui anno 1630 mortuus est), Johannes Egilli filius (pastor Reppholensis) conscripsit, cf. *F. Johannæi* Hist. eccl. III, 200—202; IV, praef. fol. c, 3; *H. Einari* Hist. litt. Isl. p. 149.

e) Cf. *F. Johannaei* Hist. eccl. IV, praef. fol. c. 1.

i. Annalium Flateyensium continuatio ab anno 1395 ad annum 1666, facta ab Johanne Arii filio, sacerdote Vatnsfjardensi et praeposito toparchiae Isafjardensis († 1674); quicquid hic ad historias Islandicas pertinet, maximam partem debetur Annalibus Björnonis de Skarðsá *f*); item altera eorundem annalium continuatio, quam Finnaeus, p. 62, Annalem Vatnsfjardensem *(Vatnsfjarðar annáll) g*) appellat, scripta a Sigurdo filio Johannis Arii filii, qui Sigurdus anno 1668 Holti sacerdos et 1680 toparchiae Isafjardensis praepositus fuit, quique ante annum 1691 non obiit.

Quae de annonae gravitate morbisque epidemicis et aliis ejusmodi rebus in annalibus narrantur, ea auctor diligenter inter se comparavit atque accuratius illustravit, ita ut opus ejus hac ex parte habendum sit pro continuo in Annales Commentario, ab anno 975 usque ad 1423.

2. *Fuldstændige Efterretninger om de udi Island ildsprudende Bjerge, deres Beliggende, og de Virkninger, som ved Jordbrandene paa adskillige Tider ere foraarsagede.* Kjöbenhavn. 1757. 8. Continet §§ 88 excepta dedicatione et prooemio.

Auctor, qui dedicationi ad comites O. Thott et O. M. Rantzau tantum litteras *H. I.* subscribit, *Halldorus* fuit *Jacobi* filius, qui illo tempore in universitate Hauniensi litteris operam dabat; quique eodem anno, quo hunc librum edidit, factus est toparcha Vestmanneyensis, dein Strandensis 1758; decessit vero 1804, quum 1790 munus ei abjudicatum esset *h*). In praefatione dicit se ad opus conficiendum usum esse historiis et *annalibus islandicis*, quae in bibliotheca Arnamagnaeana asservantur. De quibus fontibus haec addit: "De mærkværdigste af forommeldte Aarböger ere udskrevne af den blandt lærde Folk bekiendte Membrana, som kaldes *Codex Flateyensis,* og findes i Kongens Bibliotheqve, der er skreven circa d. 1440 (?). De faae Copier som findes tilbage i Academiets Bibliotheqve af den samme har jeg confereret med tre andre Aarbögers Skribentere og siden efterfulgt en meget accurat Aarbog, hvilken en berömt Mand, der levede sidst i næstafvigte Seculo, har forfattet *i*). Der som disse Authores ikke komme overeens om Aarstallene, har jeg anfört Forskiellen, som paa sine Steder kan være ved Copiisternes Uagtsomhed indlöben. Somme Forfattere har vel uneligt anfört det Aar Ilden begyndte at brække ud, andre det Aar, den ophörte: thi man

f) *F. Johannaei* Hist. eccl. III, p. 528—29; IV, praef. fol. c, 3.

g) *F. Johannaei* Hist. eccl. III, p. 238. *Espólín* Árbækur VII, p. 53, 76, 99; VIII, p. 5, 33. In praefatione partis VIIIvæ queritur Auctor se his annalibus Vatnsfjardensibus caruisse.

h) *M. Stephensen* Island i det 18de Aarhundrede, p. 400; cf. *Nyerupii & Kraftii* Forfatterlexicon.

i) Intelligitur sine dubio Johannis Arii filii Annalium Flateyensium continuatio.

kand mærke, at disse Jordbrande har somme Tider varet et heelt Aar, ja undertiden mange Aar."

Si hunc librum cum ipsis annalibus comparamus, facile apparebit, quam leviter quamque parum accurate auctor his fontibus usus sit *k*).

3. *Antiqvitates Americanae* sive Scriptores septentrionales rerum antecolumbianarum in America. Samling af de i Nordens Oldskrifter indeholdte Efterretninger om de gamle Nordboers Opdagelsesreiser til America fra det 10de til det 14de Aarhundrede. Edidit *Societas regia Antiquariorum septentrionalium.* Hafniæ 1837. 4.

Huic operi, p. 255-265, inserta sunt Excerpta ex *annalibus Islandorum* (quorum annalium octo, ibi adhibiti, Codices describuntur) de navigationibus in Americam ex Islandia et Groenlandia, ab anno 1121 ad 1347.

4. *Grönlands historiske Mindesmærker,* udgivne af det *kongelige nordiske Oldskrift-Selskab.* Tredie Bind, 1845. 8.

Hic, p. 1-65, sub numero XXVII, inserta sunt excerpta ex *annalibus islandicis* medii aevi (juxta hanc editionem) de historia Groenlandiae, ab anno 986 ad 1412. Addiderunt eruditissimi Editores multa, quae ad historiam, geographiam, antiquitatem illustrandam magni momenti sunt, ex quibus haec, ut quae nobis gravissima videantur, afferre placet: annot. 1-4, de Eirico Upsio (gado), primo Groenlandiae episcopo (cf. p. 896); annot. 13, Groenlandos balaenarum nervis ad suendum usos esse; 14, Asmundi cognomen *kastanrasti* sive *kastandrasti* scribi debere; 32, de narratione Björnonis Skardsaensis, ejus quoque tempore ad Hitarnesum (in Islandia) dentes rosmarinos, de navi Groenlandica, anno 1266 aquis ibi submersa, e mari ejectos esse (cf. p. 244); 35, de sacerdotibus Adalbrando et Thorvaldo, Helgii filiis, novam quandam in America terram (Newfoundland?) anno 1285 indagantibus; 36, conjectura de situ Duneyjarum, quae eodem anno indagatae sunt; 41, de Thordo, octavo Groenlandiae episcopo (1288-1314) deque ejus cognomine *Bokki* (cf. p. 896); 47 (cf. 72 et quae sequ.) de Johanne Guttormi filio, potente quodam in Islandia viro, et de turbis ab eo atque ejus sectatoribus commotis.

Ex antiquissimis annalibus, qui pro archetypis haberi possint, bini tantum antea typis editi sunt: a) *Annales Islandorum vetustissimi* (*A. Magn.* No. 415 forma quarta, in hac nostra editione littera B signati) in *Scripioribus rerum Danicarum*

k) Errores quosdam indicavit *Joh. Erici* in Diario *Efterretninger om nye Böger og lærde Sager* 1757, p, 333—345. *Hoffii* liber, qui inscribitur *Geschichte der durch Ueberlieferung nachgewiesenen natürlichen Veränderungen der Erdoberfläche* II, p. 382, exhibet: "Chronologische Uebersicht der Erdbeben und vulcanischer Ausbrüche auf Island und einiger mit diesen gleichzeitigen ähnlichen Erscheinigungen in anderen Gegenden", cujus tamen auctor hunc *H. Jacobi* filii librum ignorasse videtur.

Tom. II, p. 177-99, cum versione latina *Joh. Finnaei* b); *Annales Islandorum regii* (ex codice quodam magnae regiae bibliothecae, in nostra editione littera C insignito), cum latina translatione *Joh. Olavi* filii (Hypnonesii), ib. Tom. III. p. 1-139.

Sunt autem duo opera recentiora, quorum auctores annales vetustiores partim secuti sunt, partim certe adhibuerunt.

1. Annalar *Biörns a Skardsa* sive Annales *Biörnonis de Skardsa*; ex manuscriptis inter se collatis cum interpretatione latina, variantibus lectionibus, notis, et indice Tom. I-II. Ex typographeo, quod Hrappseyæ est in Islandia, novo, imprimente E. Hoff 1774-75. 4. (Prior tomus, exceptis praefationibus, continet paginas 311; posterior vero 273, praeter praefationem, genealogias indices).

   Haec chronica anno 1400 incipiunt atque 1645 desinunt. Quorum auctor, homo rusticus, sed, etsi nullam scholam frequentaverat, in historia patriae suae multum versatus, natus est anno 1574 in parte Islandiae septentrionali, mortuus vero 1656. Editionem libri curaverunt *Ol. Olavius*, celeber auctor operis, quod inscribitur *Oeconomisk Reise giennem Island*, et toparcha *Magnus Ketilli filius*, aliquid opitulante *Gunnaro Pauli filio*, erudito viro et linguae islandicae perquam perito. De auctore vero atque hoc ejus opere cf. *F. Johannaei* Hist. eccl. Islandiae III, 583 sqq.; *Worm*, Lexicon over lærde Mænd III, 717; *Grönlands historiske Mindesmærker* I, 79 sqq *l*).

2. Íslands Árbækur í söguformi; af *Jóni Espólín*. I-X Deild. Kaupmannahöfn 1821-43. 4.

   Primum volumen incipit ab eo tempore, quo Islandia imperio Norvegiae subjecta est, et pertinet ad annum 1405; ultimum vero in anno 1770 desinit. In praefatione fontes operis recensentur, in quibus Annales Flateyenses. Auctor, qui deinceps praefectus fuit plurium Islandiae toparchiarum, anno 1836 obiit. Hoc autem ejus opus editum est a *Societate litteraria Islandiae*. Augetur utilitas operis indice personarum et rerum (nullo tamen locorum indice), seorsim edito qui inscribitur: Registr yfir öll mannanöfn, sem finnast í Árbókum Íslands, ásamt ödru yfir hina markverdustu tilburdi og hluti í sömu bókum; samid af *Jóni Espólín*; Kaupmannahöfn 1833.

Fieri non potuit, quin, qui in *Scriptoribus rerum Danicarum* editi fuere annales islandici studium excitarent omnium ejusmodi historiae fontium in unum quasi

l) Textum islandicum etiam separatim editum esse, annotatum est l. c. p. 82. In litteris ad Langebekium (die 20. Sept. 1775) datis, ex quibus plura post afferentur, *Halfdanus Einari* de hac editione scribit: "Biörn Skardsaensis Annaler ere vel trykte, men til al Uheld med nogen og uforsvarlig Skiödeslöshed, og Biörns Feiltagelser burde anföres in nota marginali af Udgiveren, som jeg strax i Begyndelsen advarede om."

corpus redigendorum. Id vero quantum difficultatis habiturum esset, perspectum est a pluribus rei peritis. In iis, quae *Annalibus vetustissimis* praefatus est *Langebekius*, in *Scr. rer. Dan.* II, 177, haec scribit: "Supersunt adhuc haud pauca ejusmodi *Annalium Islandicorum* volumina, sed maxime apographa & chartacea, quorum quidem Auctores ignorantur, nomina autem a locis, in quibus conservati & inventi fuerunt, iis ut plurimum indita sunt. Habemus nempe *Annales Skalhollinos, Holenses, Oddenses, Flateyenses* & plures. . . . . Omnes, quoad res & annos, in plurimis concordant, in multis vero discrepant. Alii aliis perfectiores, alii contractiores sunt. Alii plus simplice vice, imo sæpius, exscripti sunt, et quo sæpius, eo magis a recentioribus interpolati, ac librariorum incuria corrupti. Ut pauci, ita rariores, sunt illi doctorum *Islandorum annales*, et fide digniores, qui adhuc in codicibus membrancis. Quo autem vetustiores sunt codices ejusmodi, eo magis integri et incorrupti æstimantur; "Cf. prolegomena *Annalium regiorum*, III, 1. *F.* quoque *Johannaeus* in Hist. eccl. Isl. IV, praef. fol. b, 3 dicit: "Horum autem omnium licet egregium usum non tantum in hac periodo, sed etiam, quousque se singuli extendunt, gratus agnoscam; fateri tamen oportet, maximo labore, magnaque opus esse circumspectione in eis secum invicem conferendis, iisque porro, quae optima et verissima sunt, inde rite eruendis, inprimis cum exemplaria eorum, quae nunc nobis sunt, immane quantum vitiosa sint, et in multis, et maxime quidem in annis et diebus, adeo saepe differant, ut eorum multitudo plus obruat quam instruat." Cum his consentit *Halfd. Einari*, Hist. liter. islandicæ, p. 133: "Caeterum in dijudicanda adductorum annalium fide et auctoritate vasta lectio, necessaria veterum monumentorum supellex, et otium requiritur, vixque unius hominis labor est . . . . Fateor praeterea ingenue, quod aqua mihi haereat, num recte distinxerim Annales Einari' a Skalholtinis illis recentioribus, cum summa confusio in annalium inscriptione, prout in diversis exemplaribus habetur, regnet, et ob hanc rem et alias rationes difficile judicatu sit, quaenam genuinae sint inscriptiones." Quae sententia ab eodem auctore fusius exposita et argumentis confirmata est in epistola quadam ad *Langebekium*, Holis, sede episcopali, die 20. Sept. 1775, scripta, ex qua igitur ea, quae huc pertinent, afferemus *m*): "Jeg ville giærne give al muelig Oplysning om de Kiendemærker som ere paa de saa kaldte Annales Skalholt., Holenses, Oddenses, Reseniani &c., men Inscriptiones ere saa vaklende paa de Exemplarer mig have forekommet, at intet tilforladeligt kand derom skrives. Anmærker kuns dette, at de Apographa jeg har seet af saa kaldte Ann. Skalholt. begynde anno Chr. 140 og holde ud til 1356, hvoraf Exemplar uden Tvivl findes blandt Magnæi

m) Inter deperditos historiae fontes islandicos sunt etiam annales, ut Annales veterum in membrana descripti, quorum excerpta a patre suo facta *Gislius Oddi* filius, 1632—38 Skalholtensis episcopus, anno 1636 cancellario Christ. Friis transmisit (vid. *O. Wormii* Epistolae II, 596, cfr. *Edda Resenii*, Addend. fol. m, 1).

Mscc. blant Qvarterne N. 428, og disse kaldes af Nogle *de ældre:* Andre som tillægges dette Navn og distinctionis gratia kaldes *de yngre* (recentiores) synes mestendeel at være de forriges Afskrift, men blive continnerede til ann. 1430. Annales Holenses synes være de samme som Haflidäsens og kaldes af nogle *recentiores Skalholtini* (tanta nomenclaturae confusio regnat, inde forsan orta, quod mutatione locorum, ubi servatum aliquantisper aut exscriptum fuerat, diversas a talibus locis denominationes sortitum est unum idemque opus). Men Haflidasöns annales, hvoraf gode Apographa haves i Magnæi Samlinger, kiendes deraf, at Forfatteren anförer saa nöye sine Levnets Omstændigheder . . . . Annales Oddenses ere ingenlunde af den lærde Sæmund Sigfusen forfattede, men af en anden kort for Reformationen, hvor mange uvedkommende Ting indflikkes, men for Samlingens Skyld maatte de fölge, ligesom andre som tillægges Styrmer den frode, paa et Exempl. chart. i Magnæi Samling, men jeg tvivler om deres rette inscription."

Tandem vir doctissimus, de historia septentrionali optime meritus, *P. F. Suhmius,* olim e seviris Arnæ-Magnæanis, cui plures debentur antiquorum islandicorum monumentorum editiones, in hos quoque, tam graves, historiae fontes curam impendere statuit. Quod consilium primum praenunciatum est in *Crit. Hist. af Danmark* IV. (1781), praef. p. XXXIV, his verbis: "Alle de utrökte Annaler lader jeg samle i eet Corpus og föie latinsk Version ved af de tvende Brödre *Thorarensen* og nu af *Liliendahl" n*). Postea vero *Suhmius*, necesse est, nostrum collegium adduxerit, ut hujus operis curam reciperet, cujus editionem suscepit *A. Kall,* etiam e seviris Magnaeanis, qui, partim adjuvantibus legati Magnaeani stipendiariis, in quibus erat *Gudm. Magnæus et Steph. Biörnonis* fil., codices transcribendos et comparandos, opusque latine vertendum & q. s. a. curavit, quatenus ea ab iis, de quibus nuper dictum est, ad finem perducta non erant. Opus igitur typis exscribi coeptum est, cujus anno 1793 undecim plagulae excusae erant *o*). Tum autem intervenit Hauniense incendium, A. 1795, accedentibus aliis impedimentis, et ita quidem, ut primarum duodecim pla-

n) Necesse est alteram ex his fratribus fuisse *Stephanum*, qui anno 1823, die 12. Martii, Islandiae septentrionalis orientalisque gubernator (Amtmand) mortuus est; alterum vero *Vigfusum* toparcham A. 1781, † 1819. *Thorarinus Sigvaldi* filius *Liliendal*, qui postea Borgarfjardensis toparcha factus est († 1793), in tom. II — VIII ephemeridum, quae inscribuntur *Rit þess Islenzka Lærdómslista-Félags*, compendium edidit *Pauli Vidalini* commentariorum in obscuriora quaedam legum islandicarum vocabula, quod compendium etiam separatim editum est, hoc titulo: Stutt Ágrip af Lögmanzins *Páls Vídalins* Glóserunum yfir Forn-yrdi Lögbókar Islendinga, samandregit og inngefit til þess Islenzka Lærdómslista Felags af *Th. S. Liliendal*, Kaupmannahöfn 1782. 8. In praefatione *Ericiana* libri, qui inscribitur: *Olavii* oeconomiske Reise giennem Island, I. (1780), p. CLXIX, mentio fit harmonici cujusdam annalium compendii, quod *Suhmii* impensis dicitur editum iri.

o) Cf. *Baden* Kiöbenhavns Universitetsjournal I. 71, ubi A. Kallio munus editoris tribuitur.

gularum unum tantummodo exemplar relictum sit. Quod exemplar quaeque alia ad editionem praeparata erant seviri Magnaeani, maxime hortatu collegae nostri dilectissimi, qui a. 1834 e vita discessit, episcopi *P. E. Mülleri*, ad harmonicam quandam annalium islandicorum, qui res tractant usque ad ann. 1430 gestas, editionem, adhibere constituit. Rei autem perficiendae cura, nec non errorum typographicorum correctio demandata est legati stipendiariis, *Thorgeiro Gudmundi* filio, qui nunc sacerdos parochiarum Gloslunde et Græshauge in Lalandia, et *Halldoro Einari* filio, qui, postea praefectus toparchiae Borgarfjordensis in Islandia meridionali factus, anno 1846 mortuus est. Qui quum Haunia discederent, totum fere opus typis excusum erat; indicem quoque personarum et locorum *Thorg. Gudmundi* inchoaverat. Post vero discesum eorum *Joh. Sigurdi* filius, nunc prior stipendiarius & cætui ordinum islandicorum adscriptus, editioni perficiendae strenue illaboravit, et diligenti errorum typographicorum correctione, et utilibus annotationibus nobiscum communicandis et indice rerum elaborando, et accuratissima, qvæ mox seqvitur, codicum, huic editioni adhibitorum, critica descriptione.

Hanc igitur editionem benigno doctorum hominum judicio commendatam volumus, quamvis negari non potest ei non pauca ad perfectionem deesse, quo etiam pertinere putandum est, quod, ex primo edendi consilio, Annales Flateyenses, etsi Regiis recentiores, quasi pro fundamento habiti sunt, quod longius temporis spatium complectantur *p*), quam Regii, qui prius desinunt. Cetera vero vitia iis quidem difficultatibus videntur condonanda, quas dudum ab hominibus earum rerum peritis perspectas esse antea commemoravimus. Ceterum speramus historiae septentrionalis scrutatoribus non ingratum fore tantam copiam gravium et jucundarum rerum ad historiam pertinentium, quae antea partim per recentiores libros late dispersae erant, partim in codicibus manuscriptis latebant, accipere. Quum autem nostris temporibus tantum studium extiterit antiquarum litterarum septentrionalium, non est improbabile, annales quoque islandicos aliter et quidem rei convenientius aliquando esse prodituros.

Præmissa hac de annalibus Islandorum in genere disqvisitione subjungimus Additamenta nonnulla ad hanc editionem, qvalia sunt et descriptio codicum et Supplementa quibus ipse textus vel augetur, vel emendatur, et animadversiones in nonnulla annalium loca obscuriora.

p) Hoc jam *Suhmii* consilio factum esse, apparet ex verbis ejus, *Crit. Hist. af Danmark* IV. praef., l. c.: "de ypperste af dem ere uden Tvivl Flateyar-Annaler."

Additamenta.

I.

Descriptio Codicum.

A. In libri celeberrimi, *Codicis Flateyensis*, altera parte, columna 856-905 (ubi liber desinit) extant *annales Flateyenses*, qui dicuntur, manu sacerdotis Magni Thorhalli filii scripti. Jam antea dictum est, non multa de hoc Magno Thorhalli filio nota esse. Annales non in occidentali Islandia, sed potius aut Vididalstungae aut in monasterio Thingeyrensi (qui uterque locus in septentrionali Islandia situs est) scripti esse videntur. In occidentali Islandia annales scriptos non esse, hinc concludi posse videtur, quod ad annum 1344 (p. 264) de caede Pretta-Pauli solus addit: *í Dölum vestr.* Dubitari non potest, quin primus libri Flateyensis possessor, Johannes Haqvini filius, fuerit colonus istius nominis, qui a. 1350 natus esse dicitur, et deinde ad a. 1394, in aliis vero annalibus ad a. 1398 commemoratur; cf. *Espolíns* Ísl. Árbækur I. p. 82, 91, 112, 119-121. Hic Johannes sine dubio filius fuit Haqvini Gissuri filii, a. 1324 nati, id quod in his solis annalibus invenitur, cujusque mortis, ut in ceteris annalibus, sic et in hisce ad a. 1381 mentio fit; tum vero singula quaedam de hujus patre Gissuro Gallio, quae non in ullo alio annali inveniuntur, ad annos 1313, 1315, 1317, 1318 narrantur. Hos annales, ut plures vetustissimorum, per singulos annos esse continuatos, omissis aliis rationibus, inde concluditur, quod ad a. 1380, postquam notatum est, regem Olavum Norvegiae regem creatum esse, additur (quamquam haec verba in nostra editione omissa sunt): *ok nu er Cristz ár M. CCC. LXXX.*

Generales descriptiones codicis Flateyensis, argumenti ejus et aetatis ac scriptionis et si qua alia sunt, exstant in *P. E. Müllers* Sagabibliothek III. p. 437-49; *Antiquitatibus Americanis* (Hafn. 1837) p. 3-5 (ubi et duo scripturae specimina exhibentur); *I. Johnstone*, The norwegian account of Haco's expedition against Scotland 1262 (1782) Preface p. XIII-XV & pl. Saepius etiam hic liber ab editoribus singulorum fontium, quippe qui eo usi sint, describitur, velut in *Færeyingasaga* edita ab *C. C. Rafn*, Praef. p. XIII-XVIII; *Fornmanna-Sögur*, IV. Praef. p. 6, VIII. Praef. p. XV; *Scriptis historicis Islandorum* IV. p. V. De codice quodam in collectione Arnamagnaeana (Nr. 354 forma max.), qui eadem, qua pars codicis Flateyensis, manu scriptus

esse videtur, i. e. sacerdotis Johannis Thordi filii († c. 1396), v. *F. Johannæi* Hist. eccles. Islandiae I. 410.

Hi annales rubris literis inscripti sunt: *"Her hefr annál frá heims upphafi ok taulu Jeronimi prestz"*, i. e., hic incipit Annalis a mundo condito, juxta computationem Hieronymi presbyteri.

Initialis littera majuscula est, rubri coloris. Prima verba haec sunt:

Guð skapaði alla skepnu senn, en hann sýndi hana á sex dögum ok heita þat verkdagar; hinn sjöndi heitir hvilldar dagr cett.

Haec pars, in qua creatio mundi enarratur, ad certum dierum numerum relata, in multis reperitur Islandorum scriptis, quae de temporum computatione agunt, iisdem ipsis, ac hoc loco, verbis conscripta.

Proximae parti haec verba rubro colore praescripta sunt: *Alldatal Beda prestz.* Hujus partis hoc est initium: *Frá upphafi heims þessa til hingatburðar vars herra Jesu Kristi voro fim þushundir ara. hundrat ara. niutigir ok IX ar. þa tölu samþykkir Beda prestr*, *ok þessa hefir ok helldr heilug kristni almennilig. Sua segir Joseph: þá er Salomon hóf mustaris smíð þá var liðit frá upphafi veralldar*, etc. Haec pars duodecim lineis constat.

Tertia pars initialem litteram habet, sed inscriptione caret. Haec pars tribus tantum lineis constat, quibus continentur quae ad diem natalem Christi definiendum pertineant, ex *(Petri Comestoris)* "hystoria scolastica" desumpta.

Quartae parti (15 lineis) rubro colore praescriptum est: *Alldatal;* littera vero initialis abest. Hac parte aetates mundi enumerantur, citatis auctoribus et Josepho et *túlkar* (LXX interpretes) et hist. scholastica.

Hae tres partes (2-4) iisdem fere verbis perscriptae sunt, quibus initium extremi annalis Regiorum, qui dicuntur, Annalium (in Bibl. regiæ codicum manuscriptorum veteri collectione, 2087, 4.), nisi quod quae latine illic scripta sunt, in sermonem Islandicum hic sunt conversa, tum versus de computatione Bedana omissus, itidem arca Noana, quaeque ad eam pertinent, denique pauca quaedam verba paulum immutata.

Quintae parti (27 lineis) praescriptum est vocabulum: *tala;* littera initialis rubra. Prima verba haec sunt: *Sua telr hinn heilagi Jeronimus prestr i sinni kronika*, cett. Quae hic exponuntur, haud dubie petita sunt ex ea parte Annalium Regiorum, quae idem temporis spatium continet, pluribus ex alio quodam libro additis. Quae addita sunt, accuratius definiunt hebdomadis dies, annos, certos cyclos, similia, quo referantur diluvium Noae, conceptio Mariae, dies natalis ac baptismi Christi et similia, quae omnia iisdem fere verbis in multis de temporum computatione scriptis inveniuntur.

A sexta parte ipse annalis incipit, cujus partis littera initialis viridis est, haec vero rubro colore praescripta: *Frá Julio ok Rómverja höfðingjum.* Prima verba haec

sunt: *þa er liðit var fra upphafi veralldar fimm þushundir . C. V. tigir ok . iiij. ar tok rikisstjórn með einvalldi yfir Romverium ok öllum heimi Julius Cesar, er Gaius het öðru nafni*, et quae sequ.

Haec perquam similia sunt initio annalium regiorum; hic etiam annalis ab iisdem litteris computisticis (sive eodem anno) incipit, et sine ullo intervallo binis columnis in singulis paginis (sicuti codex ubique habet) continuatur usque ad columnam 905, ubi paulo supra mediam paginam interrumpitur; in reliqua paginae parte nihil scriptum est, neque in proxima pagina. Hic igitur codex primum desiisse videtur, quod etiam congruit cum iis, quae eodem tempore, quo codex scriptus est, de argumento ejus et scriptoribus ante primam partem annotata sunt.

In his annalibus, ut fieri solet, anni litteris dominicalibus et cyclicis designantur, ita tamen, ut cyclorum vel indictionum initii certa notatio non indagetur.

Usque ad annum 1289 (col. 900) omnia quasi absoluta sunt; deinde plures lacunae, quum in ipsis annis, tum post singulos annos, quae postea explerentur, relictae sunt. Decimo cuique anno numeri annorum romanis litteris additi sunt, partim ab annalis initio, partim (serius) post Christum natum; sed quum in hac re, tum in litteris cyclicis notandis et rebus ad certos annos referendis, scriptor sine dubio passim haud leviter erravit.

Si hosce annales vel strictim compares cum membrana Annalium Regiorum, apparet, vel hos ipsos vel potius apographum eorum aliudve exemplum ejusdem argumenti in annalibus Flateyensibus elaborandis pro fundamento positum fuisse. Cujusque fere anni initio, ubi res gestae referuntur, hoc fundamentum, verbis fere nihil mutatis (et saepissime sine ulla mutatione), discerni potest, ita ut reliqua addita esse appareat. Hoc inprimis perspicuum est usque ad finem anni 1283. Posthac discrimen majus fit, quaeque posterius addita sunt in annalibus regiis, annales Flateyenses saepissime plane omittunt. Quae in regiis latine scripta sunt, in Flateyensibus verbotenus translata reperiuntur. Quaedam nova addita sunt, quaedam etiam mutata; sed magnam partem harum mutationum ortam esse apparet vel a significatione vocabulorum non recte comprehensa, vel a verbis prave lectis, verbi causa ad a. 1271: *"Hafði Magnus konungr palliment i Bjorgyn,"* Reg.; "h. M. k. *fjölmennt i Björg.*", Flat. 1293: *"Ysibel dottur — Robert jarls af Brus i Scotlande"*, Reg.; *"Isibel dottur — Roðbertz jarls af Brunsvík"*, Flat.

Multis locis annorum numeri additi sunt vel emendati ab Arna Magnaeo; Torfaeus etiam multis locis annorum numeros addidit, resque notavit, quas imprimis sibi animadvertendas duxit.

Quae pars libri annales continet, pulchra et distincta manu scripta et perbene conservata est.

B. *A. Magn.* Nr. **415**, 4., cod. membr. Editi in *Scriptoribus rerum danicarum* Tom. II. p. 177 sq.

Hoc codice, qui, qualis hoc tempore est, duodecim membranaceis foliis (decem integris et fragmentis duobus), forma quarta oblonga, constat, miscellanea quaedam continentur. Fueritne, quum primum scriptus est, major necne, nunc non facile est judicatu, primo folio adeo lacerato, ut, superiore ejus parte dimidia plane abscissa, pars quaedam inferioris folii triangula restet, quae ima latior fit, ut ibi, quodnam argumentum fuerit, appareat. Secundi folii circiter duae trientes, et uno loco plus etiam, per totam folii longitudinem, abscissae sunt. Quatenus argumentum persequi possumus, hoc fuisse colligimus:

1) de *aetatibus mundi*, quae dicuntur, octo versus latini (hexametri), quorum exigua pars restat, ceteris cum iis, quae abscissa sunt, deperditis.

2) *nomina mulierum, quae fuerunt in archa;* duae tantum lineae.

3) explicatio litterarum, scriptarum a vate quodam Romano (*spámaðr einn í Róm*). Deinde in altera pagina primi folii secuta esse videntur nonnulla vocabula latina, quae nunc fere tota abscissa sunt; in ea vero parte, quae relicta est, et in secundi folii interiori margine extant.

4) *Fjarða nöfn á Íslandi*, ɔ: enumeratio omnium Islandiae sinuum et recessuum eorumque promontoriorum, quae ibi maxime sunt memorabilia. Haec enumeratio, quae maximam partem legi potest, congruit cum illa, quae in *Rymbegla* (p. 324 sequ.) typis exscripta est, nisi quod haec erroribus fere caret, quum illa Rimbegliana, ut notum est, erroribus scateat. In priori deinde pagina secundi folii videmus latinos numeros, plenis litteris exaratos, et in altera pagina fragmenta versuum latinorum, qui de temporum computatione versus memoriales fuisse videntur. Tertio folio incipit:

5) recensus paparum Romanorum, ubi *decreta pontificum* semel citantur. Praefationis loco haec de papae suprematu traduntur: "*Biskupa allra er páfi æztr*", etc. (cfr. *Rymbegla* p. 372); quatuor deinde patriarchae commemorantur; tum pontificatus apud Judaeos et episcopalium munerum prima origo apud Christianos, deducta ab Jacobo et Petro, unde paparum series incipit. Paparum nomina ita per binas columnas in singulis paginis enumerantur, ut, quot annos, menses, dies singuli regnaverint, simul memoretur. Haec series tertium folium et priorem paginam quarti folii complet, desinitque in Nicolao IV [de quo ab Arna Magnaeo adscriptum est: "coepit 1288; obiit 1292"]. His quatuor paparum nomina, sine annorum numero, adduntur, alia fortasse manu scripta.

6) quaedam de astronomia et praecipue de temporum computatione, partim similia iis, quae in Rymbegla inveniuntur, partim eadem. Initium hoc est: *Stjörnubókar fræði hafa ýmissir menn fundit um veröldina*, cetera. Additur figura, qua cur-

sus lunae, solis, planetarum illustretur. Fontes citantur Beda et Elpricus. Priore pagina sexti folii exponuntur quaedam, quum de mensium numero et longitudine, tum de Calendis, Nonis Idibusque, tum de Regularibus et Concurrentibus, tum de Epactis, de solis cursu per sidera, horumque nominibus et origine, nec non de planetarum, solis, lunae situ, temporeque, quo cursus suos conficiant. Hujus folii altera pagina sequitur *Stjörnu-Odda tal*, quod dicitur (cfr. *Rymbegla* **90** sequ.),

7) "*Annáll*", incipit a Christo nato (*tekr til á því sem Gabríel vitraþiz guðs móður Marie* et quae sequ.) et continuatur usque ad annum **1313**, ubi Jorundi, episcopi Holani, mors memoratur. In quinque primis hujus annalis paginis (fol. **7, 8, 9** a) quaternae columnae sunt; anni ubique litteris dominicalibus notantur, tum vero in prima pagina litteris undeviginti annorum cycli (Lunaris). Posterius vero hae litterae tantum adscribuntur duobus primis vel plurimum quatuor cujusque cycli annis, postremo vero ad primum modo annum, usque ad **976**, ubi omnes denuo litterae cyclicae notari incipiunt. Vicesimus quique annus arabico (sive, ut res in horum temporum mathematicis Islandorum scriptis narratur, indico) numero notatur. Folio **9**. verso interrumpitur annalis his verbis: "*Fall Olafs Tryggvasonar*" (anno **1000**); reliqua pars paginae expleta est particula quadam ex Rymbegla (infra No. **8**). Proxima pagina, ab anno **1270**, annalis rursus incipit, et, ut ante dictum est, usque ad annum **1313** continuatur; vero simile est interiisse duo intima ex foliis in unum colligatis, quorum nunc sex restant. Ab anno **1270** usque ad annum **1302** annalis paulo, quam alias, copiosior est, sed ab anno **1303** usque ad annum **1313** spatia quaedam ad singulos annos relicta sunt, quae postea complerentur. Anno **1314** nihil praeter litteram dominicalem et cyclicam adscriptum est; in fine annalis una fere pagina vacua relicta est.

Annalibus, ut antea demonstravimus, particula quaedam inserta est (fol. **9** b).

8) ex Rymbegla: a) de aetatibus mundi; b) de stadio et ratione longitudinis in superficie terrae; c) de descriptione Graeciae; d) de circuli quadratura. Finito annali

9) enumerantur quum archiepiscopi Nidrosienses, usque ad Eilifum, tum episcopi Bergenses, Stavangrenses, Osloenses, Hamarenses, itidemque Kirkjuvagenses, Færeyenses, Skalholtenses, Holenses, Grönlandi, tum abbates Thingeyrenses, Munkathveraenses, Thykkvabæenses, Videyenses, Helgafellenses, Saurbæenses, Hitardalenses, tum vero abbates nulli certo monasterio præfecti (*lausir*).

10) genealogia ab Ragnare Lodbrok ad Haraldum pulchricomum et series regum Norvegiae ab hoc ad Haqvinum Magni filium (**1299—1319**); typis excusa in *Scr. rer. Dan.* I, **10—11**.

11) enumeratio pagorum (*fylkir*) Norvegiæ, qui sunt numero viginti quinque.

12) series Daniae regum ab Ragnare Lodbrok ad Ericum Erici filium (**1286—1319**); de quibusdam, quot annos regnaverint, adscribitur; edita in *Scr. rer. Dan.* II. p. **11—12**.

13) series Sueciae regum ab Ragnare Lodbrok ad Birgerum Magni filium (1291—1319). *Scr. rer. Dan.* I, 12—13.

14) genealogia a Noa ad Haraldum pulchricomum, et ab Odino ad Hordaknutum, per seriem Daniae regum. Harum genealogiarum illa inscribitur: *Lángfeðgatal frá Nóa til vârra konunga.* Hae genealogiae typis excusae sunt in *Scr. rer. Dan.* I. p. 1—6.

15) nota illa historiae particula: "*Svâ segir í Hamborgar istoria*", etc. (typis excusa in *Scr. rer. Dan.* II, 146—53). Hac particula finita aliquot linearum spatium vacuum restat.

Manus, qua totus hic liber scriptus est, perquam similis est manui, qua scriptæ sunt et H*auksbok*, quae dicitur (A. Magn. 544, 4) et fragmenta Libri originum Islandiae (*Landnámabók*), ab Hauko recensiti (A. Magn. No. 371, 4); formae codicis etiam eadem fere magnitudo est. Verum, sive hic liber primum ad eundem ac illa codicem, sive non, pertinuit, dubitari non potest, quin decimi quarti seculi secundo vel tertio decennio, nisi fallimur inter annos 1313 et 1319, scriptus sit (cfr. *Antiqu. Americ.* p. 256).

C. Codex est membranaceus (Foliorum XLIV) in veteri collectione codicum manuscriptorum magnæ bibliothecæ regiæ, Nr. 2087, 4; integer typis excusus est in *Scr. rer. Dan.* III p. 1. seqv.

1) Codex literis rubris inscribitur: "Incipit libellus continens aliqua contingentia a tempore Julii Cesaris usque ad annum quintum imperii Frederici primi" (cfr. A. Magn. 410, 4.) Ipsius orationis contextae, quae hic latine scripta est, hoc est initium: "Romanum incipit imperium per Gaium Julium Cesarem, a quo Romani principes Cesares appellantur", cett. (cfr. A. Magn. 410, 4.) Primo capite, quod duodecim tantum lineis constat, pauca quaedam narrantur de Julio Caesare et Augusto; deinde secundum caput incipit, his verbis: "de incarnatione domini nostri Jesu Christi". Jam hi annales, in tres partes, quarum quaeque inscriptionem præfert, divisi usque ad "annum domini CCCC. L. iij." (453) continuatur, ubi interrumpuntur his verbis: "Primo anno Marciani", cett. Reliqua omnia, usque ad "annum quintum imperii Frederici primi", quae sunt verba primae inscriptionis, verosimiliter deperdita sunt. In hac annalium parte, quæ integra latine scripta fuisse videtur, nullae litterae dominicales neque alia signa computistica extant, quibus anni denotentur, sed ad singulos annos, ubi aliquid narratur, ipsi numeri romani adscripti sunt, ceteris plane omissis.

Hoc fragmentum sex folia integra complet, quorum summa pars jam aliquantum vetustate putrefacta est. Scriptum est antiqua manu, quae videtur admodum similis esse antiquissimae illi manui, qua notus ille libellus daticus ecclesiæ Reykholtensis *(Reykholts máldagi)* cujus imago expressa est in *F. Johannæi* hist. eccl. tom. IV.

Admodum probabile videtur, hanc particulam ad singularem quendam annalem

pertinuisse, qui cum eo, qui sequitur *q*), conjunctus non fuerit, quamquam uterque in editione, *Scr. rer. Dan.* Tom. III., pro uno habetur.

2) Annales, qui omnia quae sequuntur folia (7-44) complent, sic incipiunt "Actor . . . . ex cronicis" (in summo margine). "Ab initio mundi ad nativitatem Xi computati sunt anni V̅CXCIX (5199), et hunc numerum designat Beda; quem etiam usualiter tenet ecclesia.. Unde versus:

"Unum tolle datis ad millia quinque ducentis" (cett., Lb. III, 11). Inferius in eadem pagina delineatur arca Noachi; ab dextera, supra delineationem, nomina eorum qui in arca erant; infra dimensiones arcae, petitae ex "ystoria scolastica".

Proxima pagina afferuntur quaedam, latine scripta, de tempore, quo regnante Salomone templum aedificatum sit et quando deletum (auctore Josepho); praeterea quaedam de tempore definiendo, quo Christus natus sit (ex "ystoria scolastica"), de aetatibus mundi (Josephus et *túlkar*" — LXX interpretes); quaedam de temporum computatione auctore sancto Hieronymo.

Folio octavo ipsi annales sic incipiunt: "Secundum ystoriam *ricti* Cesar Gaius Julius *í einvalldi . iij. ar. . vij. manuđi*", cett.; deinde annalis, binis columnis in singulis paginis perscriptus, continuatur, donec ad annum 1328 (qualis nunc est) abrumpitur. Anni, ut fieri solet, litteris tantum dominicalibus et cyclicis notantur et post Christum natum decimus quisque annus litteris romanis (X—XX—C—M—MCCXX et sic porro). Indictionum initium in margine ad singulos annos, ad quos pertinet, littera J notatur. Usque ad finem anni 1279 omnia directo scripta sunt, ita ut res ad singulos annos suo ordine adjungantur, neque, sicuti in aliis annalibus fit, ipsi annorum numeri primum perscribantur, nulla ratione habita diversae copiæ rerum, quae ad quemque annum referrentur. Litterae eorum annorum, de quibus nihil refertur, lineam per se efficiunt. Videtur igitur auctor opus suum ad hunc usque annum pro absoluto habuisse; nam quod crebro inter lineas inserit nomina patrum, vocabula locorum, cognomina, titulos, dies aliaque, quae tradita accuratius definiant (v. c.: Lodovicus (balbus), Eirikr (eimvni), Reiðar (erchibp̄), Kolbeinn (Tvmason), Johannis (Holensis) episcopi, Elldr i Heklufelli (hinn) (þriði) etc. sine dubio inde profectum est, quod auctor aut membranae parcere voluit, aut postea perspectum habuit, plura accuratius esse definienda; et demum in singulis annis posterioribus spatium, in qvo nova additamenta perscriberentur, relictum est.

Prima annalis pars fere tota latine scripta est usque ad annum 842, ubi islandice extat: *brennd Hamborg*. Deinde passim pauca quaedam islandice narrantur, inprimis de Norvegia et Suecia, posteriusque de Islandia, usque ad annum 959, ante

q) Haec tamen opinio infirmatur verbis, quae in initio sequentis particulae exstant: "Nos tamen juxta *minorem numerum* (i. e. a Christo nato non a mundo creato computando) q huc vz (quem huc usque?) secuti sumus, cetera prosequamur."

quem annum plurima traduntur de rebus, quae extra terras septentrionales gestae sunt, et series regum Anglosaxonum exponitur. Deinde sermo maximam partem islandicus est, et latine fere nihil praeter translationes et passiones sanctorum traditur.

Totus liber una et eadem manu scriptus esse videtur usque ad secundi annalis annum 1282(fol. 40b). Quae supra lineas scripta sunt, tenioribus quidem litteris sed tamen eadem manu scripta esse videntur. Ab initio anni 1283 usque ad finem 1306 litterae computisticae et alia quaedam ad singulos annos antiqua illa manu scripta sunt, spatiumque additamentis relictum, quae etiam duabus certe manibus adscripta sunt, quarum una fortasse illiae qualis est, altera vero aliquanto recentior videtur (c. 1350). In anno 1306 illa antiqua manus plane desinit, recentioresque annalem continuant, relictis spatiis ad singulos annos, usque ad finem anni 1328, ubi codex, qualis nunc est, desinit. Tempore Arnae Magnaei unum certe folium adhuc extitit *r*); ille enim codicem excerpsit usque ad exitum anni 1341, ubi reliqua deesse dicit ("reliqua desunt"; cfr. *Scr. rer. Dan.* III. p. 132—35). Ex ligamentis, quae sunt in averso libri involucro, etiam concludi posse videtur, hunc olim haud paulo majorem fuisse, quam nunc est.

Notandum est, hunc annalem, certe quoad antiqua illa manu scriptus est, haud dubie ab aliquo homine litterato compositum esse, nec dubitari debere, quin vel inter praestantissimos Islandorum annales habendus sit. Usque ad finem anni 1283 aut hic annalis, aut apographum ejus sine ulla mutatione (si errores quosdam librarii exceperis) in libro Flateyensi exscriptus est; adeo ut inde orti sint annales Flateyenses, qui in nostra editione fundamenti loco habiti sunt.

Codex passim lectu difficilis est, praesertim quod membrana perquam tenuis est et multis locis vetustate lacerata.

D—E. *A. Magn.* No. 420, 4.

Hic liber pluribus annalium fragmentis constat, in membrana scriptis, in capsula chartacea reconditis.

a) fragmentum annalis, XVIII foliorum, forma quarta oblonga, fasciculis (*Læg*) tribus (6+4+8 folia *s*), binis columnis in singulis paginis. Singuli anni notantur litteris quum dominicalibus, tum cyclicis, quae undeviginti annorum cyclum (cyclum lunarem) indicant. Primus cujusque cycli annus majoribus litteris sive litteris cyclicis indicatur. Indictio in dextera cujusque columnae parte indicatur, primum constanter, deinde rarius (post 900) et saepissime in margine, sed post 1228 plane non indicatur. Praeterea ad vicesimum quemque, posterius fere semper ad decimum quemque, annum numeri annorum aut in ipsa columna, aut in margine, arabicis numeris additi sunt; alias Romani numeri adhibentur. Ad annos 1208—1356 ipse Arnas Magnaeus numeros singulis annis adscripsit.

r) In nota, praemissa codici manuscr. numero 410 4to, memorat suum "folium membraneum" annalium regiorum, quod verosimiliter incendio deletum est A. 1728.

s) Hi fasciculi primum 8+6+8 folia continuerunt.

Hoc fragmentum incipit ab anno **140** p. Chr. n. et desinit in **1356**, cujus anni pauca verba (*skiphafn* IX *tigir manna*) in extremam paginam, in qua praeterea nihil scriptum est, transeunt. Annalis igitur hic primum finitus est, sed totum initium (aut unum folium, aut omnia, quae unum fasciculum continuit, cum primo ex proximis, quae nunc prima sunt) perditum est; praeterea duo (extremum primi et primum secundi fasciculi) post folium **6.**, quae folia tempus ab initio anni **1012** usque ad finem **1181** *t*) continuerunt; denique post decimum (quod extremum fuit secundi ligamenti et cum primo cohaesit), continens finem anni **1264** et qui sequuntur annos usque ad **1273**, cujus etiam prima pars hoc folio continetur. Finitur anno **1264** his verbis: "*Manntapi mikill fyrir Rosmhvalanesi. Elldz* (*uppkvoma*) et rursus incipit anno **1273** hoc modo: *Odds sunar ok Þorvarðar Þórarinssunar.* Hae lacunae, ut judicat A. Magnaeus in iis annotationibus, quas apographo, ipsius manu scripto (No. **428**, **4**), praemisit, jam anno **1601** exstiterunt, quum Johannes Egilli filius, sacerdos Hreppholensis, auctor continuationis Hungurvakae, quae dicitur, hunc librum excerpsit. Hi iidem defectus apparent etiam in "collectione annalium", quam episcopus Brynjolfus Suenonius curavit, manu sacerdotis Jonæ Erlendi filii scripta. Hoc exemplum, quod Brynjolfus episcopus veterem annalem Skalholtensem (*Skálholts annáll hinn forni;* A. Magn. ad **428**) appellavit, Magnaeus ab episcopo Johanni Vidalino adeptus est ex Skalholto, ubi episcopi Thordi Thorlacii tempore asservatum erat; sed nescit Arnas possideritne aedes sacra hunc librum, an ibi relictus sit, quum libri episcopi Brynjolfi Suenonii (A. M. in **435**, **4.**, fol. **68**) asportati sunt.

Hoc exemplar describit A. Magnaeus, quum in apographo, ipsius manu scripto (**428**, **4.**), de quo antea dictum est, his verbis: "*þeir eru af bezta slagi*" (sunt optimae notae), tum in eo, quem ipse confecit, catalogo (Catalogus codicum pergamenorum, quos anno **1707**. **1708**. **1709**. **1727**. possidet A. Magnaeus; No. **435**, **4.**, fol. **67**. b.) hoc modo: "*eru gamlir og vænir*" (sunt veteres et boni).

Litterarum forma et scribendi ratio perbona est et prope accedit ad *Hauksbók*, qui dicitur, imprimis usque ad exitum anni **1247**. Ab hoc inde tempore usque ad lacunam anni **1264** exemplum scriptum est languidiori atramento, colore paulum in caeruleum transeunte, sed perquam simile et, ut videtur, eadem manu. Post lacunam, ab a. **1273**, scriptura nigra est, sed non omnino tam pulchra et aequalis, quam partis superioris; interim non facile dijudicatu est, sitne totus liber una an duabus manibus scriptus, altera usque ad lacunam **1264**, altera post a. **1273**. Pro certo haberi potest, utramque partem scriptam esse inter annos **1300** et **1360**. Numeri arabici ubique vetustiorem illam formam præferunt, quae in *Hauksbók*, in Cod. argumenti compntistici, Bibl. Reg. Mss. vet. coll. No. **1812**, **4.**, pluribusque vetustioribus libris manuscriptis

t) Finitur anno 1012 verbis: "*Obitus Aðalráðs engla konungs*"; incip. anno 1181: "*Obitus Alexandri pape*".

exstat. Apices litterarum crebri sunt lineolaque, quum supra e (è), tum alias vocales (á, í, ó) collocatur et in hoc libro imprimis notatu digni esse videntur.

Latina vocabula, quae frequenter occurrunt, adeo recte scribuntur, ut inde apparere videatur, auctorem fuisse hominem sermonis latini peritum. Ceterum multa, praecipue, nisi fallimur, in posteriori parte, negligentia in scribendo peccata sunt, imprimis in sermone Islandico. De hoc annali cfr. *H. Einari* hist. litt. Isl. p. 129, et *Antiqu. Americanæ* p. 257.

No. 428, 4to. Apographum est hujus annalis, ipsius A. Magnaei manu alternis paginis scriptum. Apographum perquam accurate scriptum est, nisi quod apices admodum raro retinentur. Quae in archetypo abbreviata sunt et omissa, in hoc apographo, si res alicujus momenti est, addita sunt, quae additamenta lineis subductis notantur. Ad singulos annos numeri adscribuntur; ceterum litterae tantum dominicales retentae sunt, cyclicae omissae. Annalem sequuntur tria folia vacua; deinde duo, in quibus Magnaeus, chronographorum modo, de gente regum Norvegiae, ab initio a. 1268 usque ad exitum anni 1389, quaedam annotavit.

b) Fragmentum annalis, quod ex decem integris foliis et particula folii constat, scriptum binis columnis in singulis paginis. Singuli anni notantur litteris et dominicalibus (ita tamen, ut in annis bisextilibus extrema tantum littera dominicalis apponatur) et iis, quae ad lunarem cyclum pertinent, primo quoque cycli anno majore littera insignito. Ceterum anni in interiore columna romanis litteris notantur, plerumque decimus vel vicesimus quisque annus; praeterea usque ad a. 1211 quinto decimo cuique anno numerus XV adscriptus est. Hoc fragmentum incipit ab anno 102 p. Chr. n., qui numerus ab A. Magnaeo in columna additus est; sed ex primo folio una tantummodo restat particula, circiter duos digitos lata, ad posticam partem superioris folii dimidiati pertinens, ut pauca tantum verba appareant. In proximo folio, a quo ipsa continua pars incipit, primae sunt litterae e. l., id est, annus 273; hoc folium exitum anni 459 attingit; deinde rursus unum folium, continens res ab initio a. 460 ad exitum a. 656 gestas, interiit. Quae sequuntur novem folia continua sunt, desinuntque in anno 1392 *(Rægn mikit fyrir norðan á Íslandi)*, p. 356, ut pro certo statui nequeat, longiusne unquam annalis progressus sit (cfr. tamen No. 420 c). Lacunae, quas diximus, veteres sunt, jamque exstiterunt, quum sacerdos Johannes Erlendi filius hoc fragmento usus est in conficienda compilatione harmonica annalium, rogatu episcopi Brynj. Suenonii; contra, quod ab J. Erlendi filio lacuna post ann. 1092 memoratur, hoc eo factum est, quod rem aut non recte animadvertit, aut prave intellexit. J. Erlendi filius hoc fragmentum *Lögmanns annáll* appellavit (cfr. *H. Einari* p. 133), quod inde ortum esse videtur, quod ab aliquo nomophylace Islandiae in possessionem Brynjolfi episcopi venerit. Post mortem ejus, donec ab episcopo J. Vidalino ad Arnam transiit, Skal-

holti asservatum est; neque satis constabat, utrum ad res a sacra aede possessas pertineret, necne.

A. Magnaeus virum, suis temporibus celeberrimum, sacerdotem et officialem Einarum Haflidii filium (†1393) horum annalium auctorem principalem esse opinatur, quae opinio quum eo confirmatur, quod plura de hoc ipso et patre ejus, sacerdote Haflidio Steini filio, memoriae mandantur, tum vero prece, ad a. 1307 commemorata, ubi ipse Mariam, sanctam virginem, invocat; cfr. *F. Johannæus* I. p. 592. Interim hi annales ita confecti esse videntur, ut primum litterae singulorum annorum, ordine, ut videtur, nusquam interrupto, usque ad a. 1260 vel 1273 perscriptae sint, additis iis annorum numeris (per singula decennia) et perpaucis aliis rebus, quae nunc multo majoribus litterarum notis dignosci possunt. Hoc factum est, ut, quum postea res adderentur, deficiente loco, partim spatiis, ad sequentes annos pertinentibus, partim margine uti auctores cogerentur, quare pluribus locis in XII. et XIII. seculo, ubi rerum, quae notantur, major copia fit, magna diligentia adhibenda est, ut res ad annum, quem auctor voluerit, referantur, quum saepe ad posteriorem annum adscriptae sint, lineola tantum proprium earum locum indicante. Notatu sane dignum est, ex hoc oriri potuisse, quum multos errores in minus accuratis Islandicorum annalium apographis, tum magnam illam discrepantiam, quam in rebus ad certos annos referendis tam saepe offendimus. Post a. 1273 nihil his insignioribus litteris scriptum occurrit, ante 1344—46; sed et hi anni et omnes, vel certe pleraeque, litterae calendares a superiore illa manu profecta esse videntur. Cetera omnia una manu scripta sunt usque in annum 1361, in ima parte ejus folii, quod extremo proxime antecedit (ultima verba haec sunt: *briotande kistu a Silfrastöðum i heilagri kirkju*). Vero igitur simile est, omnia usque ad locum, quem diximus, in anno 1361, una eademque manu scripta esse, sed auctorem hac, minime apta, ratione usum esse, ut litteris calendaribus primum scriptis, ipsum annalem deinde adderet. Extremum folium facile apparet diversis manibus scriptum esse, priorem paginam levi manu et nitida ac nigro atramento, posteriorem vero atramento languidiori et minus nitida manu, parvis et densis litteris, quo accedit, quod scriptura jam valde expallnit, et hic illic lectu difficilis est. Haec manus perquam similis est ei, qua scriptus est quum epistolarum liber Johannis episcopi Vilhjalmi filii, No. 235, 4., tum multae epistolae in Magnaei collectione epistolarum, quae illius episcopi temporibus, c. annum 1430, scriptae sunt. Fieri potest, ut haec manus eadem sit, atque illa, qua scripta sunt omnia, quae praecedunt, usque ad annum 1361, quamquam hae litterae minores sunt et densiores; sic a vero non abhorret, hunc librum non esse scriptum ab ipso sacerdote Einaro Haflidii filio, sed apographum archetypi Einarini, vel compilationem, in qua conficienda scriptor (forsan quidam ex clericis Episc. Joh. Vilhelmi f. circa a. 1430) etiam adhibuerit opus Einari. Haec opinio confirmatur nonnullis mendis, quae haud dubie librariorum incuriae adscribendae videntur, ut a.

1275: *þá kom sva mikit hagl or skyium á Laurentius messu dagh at einu stenu halg steinar stodu XV aura* (427). A. Magnaeus emendavit: "*enir stærstu haglsteinar*" (sic etiam in Ann. Flatey.).

Quum annalis tam multa latina vocabula contineat, dubitari non potest, quin a litterato aliquo homine confectus sit.

De hoc annali cfr. *H. Einari* hist. litt. Isl. p. 129, 133; *F. Johannaei* hist. eccl. Isl. IV. Praef. fol. 5b; *Suhm* critisk Historie af Danmark III. p. 679; *Antiqu. Americ.* p. 257.

c) fragmentum annalis, 33 folia, forma quarta minori, quatuor fasciculis et uno folio soluto (10+8+8+1+6 folia) scriptum binis columnis in singulis paginis.

Hic annalis ab a. p. Chr. n. 70 incipiens ad annum 1430 pertinet. In ultima pagina nihil scriptum est. Videtur igitur annalis in fine integer esse, sed initium fortasse deest. Quoad fragmentum B. (hujus numeri) extenditur, apparet hunc librum apographum ejus esse, etsi non semper accurate exscriptum est; sic error, quem ad annum 1275 in illo memoravimus, huc transiit etiam majori corruptione adauctus. Continuatur hic liber, nusquam interruptus, postquam illud desiit, ab a. 1393 ad a. 1430. Hinc igitur juste concludi posse videtur, esse hunc librum apographum illius, (Litt. B), qualis integer fuerit, quam ob causam etiam hic liber aliquod habet pretium. Litterae calendares hic eodem modo, quo in illo, adhibentur; nam quum prima littera dominicalis ad annos bisextiles semper omittitur, tum vero annorum numeri hic illic romanis litteris adduntur, numero etiam XV (indictionis) eadem ratione adscripto, atque in Lit. B. Contra ad annos 111—117 et 122—125 quaedam annotata sunt de Islandia, quae A. Magnaeus in apographo 427 dicit in aliis annalibus referri ad annos 1265 et 1266, quamquam in hoc libro (ad hos annos) non inveniuntur. Ceterum satis apparet, librarium has res non ad annos, quos diximus (111—125 p. Chr. n.), referre voluisse, sed, quum ei occurrissent, ubi facillimum esset easdem inseruisse.

Ceterum hic liber, qui seculo decimo sexto scriptus esse videtur, omnino bene servatus est et lectu facilis, nisi quod, ultimi fasciculi primo folio (duodetricesimo) aliquantum laeso, nonnulla verba legi non possunt.

Posteriore parte seculi decimi sexti Vigfusus Johannis filius (qui idem partim scripsit No. 438, 4.) hunc librum possedit (vid. fol. 27 b) addiditque multis locis partim numeros annorum, partim notas in margine *u*), partim etiam quaedam ad historiam pertinentia, pleraque vel in margine, vel in ultimo folio vacuo. In seculo septimo quaedam annotata sunt manu seculi septimi decimi. Annorum etiam numeri passim subjuncti sunt manu Torfaeanae simili, quae tamen etiam potest esse Vigfusi Johannis filii, de quo supra dictum est. Denique A. Magnaeus ubique addidit cum litteras

u) Sic ad a. 1319, ubi ingenium et mores sacerdotis Hallidii Steini filii describuntur, his verbis utitur: *Vorkunn er þó Einar prestr hrósi föður sinum* (Condonetur Einaro sacerdoti laus patris ipsius). Habuit igitur sine ulla dubitatione sacerdotem *Einarum Haflidii* f. pro auctore annalis.

dominicales, quae defuerunt, tum primis seculis indictiones et annorum numeros, tum etiam frequenter correxit errores in annorum numeris ab inscitia librariorum profectos.

Tempore Brynjolfi episcopi, et, ni fallimur, prius, hic liber Skalholti fuit (in margine folii, quod proximum est ab ultimo, haec verba scripta sunt: *skræða dómkirkjunnar*, ɔ: lacer libellus ecclesiæ cathedralis), sacerdosque Johannes Erlendi f. in conficienda collectione annalium harmonica, de qua supra diximus, eo usus est et *Skálholts annáll hinn nýi*, ɔ: Annales Skalholtenses recentiores, appellavit. Post mortem Brynjolfi episcopi liber Skalholti extitit, in regesta sacrae domus tamen non relatus, donec eum A. Magnaeo Episcopus J. Vidalinus tradidit. In suis veterioribus commentariis Arnas hoc exemplum *annales Skalholtenses* appellavit, ut qui illo tempore non plura exempla Skalholtensia cognovisset.

De hoc annali cfr. *H. Einari* hist. litt. Isl. p. 129, 133; *F. Johannaeus* IV. Praef. fol. 5b; *Antiqu. Americ.* p. 257.

A. Magn. 427 a, 4.

Apographum fragmentorum annalium No. 420 B et C manu ipsius A. Magnaei scriptum. Hoc apographum alternis paginis (a sinistra) scriptum est, annorum numeris et litteris dominicalibus ad singulos annos adscriptis; litterae vero cyclicae omissae sunt. Fronti voluminis annexa sunt folia, in quibus quaedam annotata sunt ab Arna, quum de sacerdote Einaro Haflidii f., qui annalium auctor habendus esse videatur, tum de duorum, quae diximus, fragmentorum appellationibus, eaque ratione, quam J. Erlendi fil. in eorum usu secutus sit, et aliis ejusdem generis. Hic etiam ab Arna descripta sunt, quae, ut antea diximus, in fragmento C. ad annos 111—125 relata sunt, quum revera ad 1365 et 1366 pertineant. Ante ipsius apographi initium Arnas Magnaeus notavit: "Ex recentiore membrana (desumptum) usque in annum Chr. 272. Initium deesse videtur, a nato nimirum Chr. ad annum ejusdem 69 incl." Putavit ergo fragmentum C primum a Christo nato incepisse. In oratione contexta B et C pro uno libro habet, quod etiam certe recte statuit, ita ut, ubi ambo integra sunt, fragmentum B. sequatur, verum ubi hoc mancum est, fragmentum C, disertis verbis notans, cum ubi B. desideretur, tum quod ad annum 1392 deficit; deinde apographum continuatur ex C. descriptum, donec in anno 1430 desinit.

F. *A. Magn.* No. 410, 4.

Liber chartaceus, continens annales ab temporibus Julii Caesaris ad a. 1396.

Hi annales pluribus partibus constant:

a) annalis, latino sermone compositus, a Julio Caesare ad annum 388 pertinens, cui haec inscriptio: "Incipit libellus, continens aliqua contingentia a tempore Julii Caesaris usque ad annum quintum imperii Frederici primi". (cfr. supra Litr. C.) Prima verba orationis contextae haec sunt: "Romanum incipit imperium per Gajum Julium Caesarem" et quae sequ. In hac parte sunt tantum annorum numeri ad singulos annos, nullae vero litterae calendares.

b) quaedam, partim latine, partim islandice, scripta de annorum numero a mundo creato ad Christum natum, desumpta ex operibus Bedae; de computatione temporis, quo templum Salomonis extructum sit, auctore Josepho; de tempore nativitatis Christi definiendo, ex (Petri Comestoris) Historia scholastica; denique de quinque aetatibus mundi usque ad Christum natum. Initium hujusmodi est: "actor. ex chronicis. Ab initio mundi ad nativitatem christi computati sunt anni $\overline{V}$CXCIX" et quae sequ. Additur annalis a tempore Caesaris ad annum 636 p. Chr. n., partim latine, partim islandice scriptus, indicatis quum litteris dominicalibus et cyclicis, tum annorum numeris ad singula decennia. Initium hoc est: "Secundum historiam ríkti Caesar (Gajus) Julius í einvaldi III ár VII mánuði (cfr. supra Litr. C.)."

c) annalis, latine scriptus, incipit ab anno domini 391 hoc modo: "Augustinus a Manichæorum hæresi per Ambrosium ad catholicam fidem convertitur", et pertinet ad 453, tres paginas continens. Ad singulos annos romani numeri adscripti sunt, nullae vero litterae calendares.

d) *annálar um það sèrlegt sem til hefir fallið í Danmörk, Noregi, Þýzkalandi og Íslandi og annarstaðar, frá því datum skrifaðist 636."* In hoc annali et ad singulos annos litterae dominicales et cyclicae adscriptae sunt, et numeri ad decimum quemque annum notis romanis arabicisve. In margine multa annotata sunt, tum a Torfaeo, qui annorum numeros saepe adscripsit; tum etiam nonnulla ab Magnaeo.

Quod ad horum annalium originem attinet, putat A. Magnaeus in schedula affixa eos primum ortos esse ex "membrana regia in 4to", ita ut maxima ex parte descripti esse videantur ex "veteri exemplari", quod ipsum fuerit apographum illius membranae regiae sive "annalium regiorum", ita compositum, ut initio cum his annalibus congruat, et tantum pauca quaedam usque ad annum 1310 interpolata sint, deinde vero plane immutetur et longe locupletius fiat *("verða þessir allir öðruvís og eru þar longe locupletiores").*

Initio voluminis in interiore involucro a Th. Helgii filio, qui jam e vita decessit, scriptum est: F (hunc librum), compositum ex pluribus diversis annalibus, easdem res saepe repetere, ut ad annos 1267 et 1275, sed tamen revera librum C accurate sequi, quibusdam ex aliis libris, imprimis I, additis.

Hoc ipsum apographum putat Arnas scriptum esse ab uno de scribis episcopi Holani Thorlaci Sculonis filii, curante hoc episcopo, ex vetustiore aliquo exemplo. Deinde per aliquod temporis spatium a Torfaeo possessum, a. 1712 Arnae commodatum, anno vero 1715 ipsi a vidua Torfaei dono datum est. Antequam in possessionem venit Arnae, una cum annalibus Björnonis Skardsaensis conglutinatum fuit, sed ab his separatum seorsim involucro membranaceo tectum est, quod etiam nunc retinet.

Hos annales *F. Johannaeus*, IV. Praef. fol. 5. b. *Holenses antiquiores* nuncupat.

G. *A. Magn.* No. 411. 4to. Liber chartaceus, 64 foliorum, continens annalem ab anno 70 p. Chr. n. ad a. 1430 pertinentem, manu, valde quidem breviata, sed tamen facili lectu. Annorum numeri ubique a librario additi sunt, litterae vero dominicales et cyclicae, quibus in membranis tempora solent notari, omissae. In posteriori parte, post a. 1265 (revera 1273), quum annorum numeri valde depravati sint, recti numeri in margine additi sunt, partim ab A. Magnaeo, partim etiam ab aliis recentioribus.

Rerum in annali maxime memorabilium index additus est.

In calce libri recentior manus nonnulla annotavit de indole et origine ejus, in quibus statuitur, esse hunc codicem compilationem duorum manuscriptorum (in hac editione D et E, sive A. Magn. 420, 4.), sed ab imperito librario. Praeter multos verborum et nominum errores in hoc etiam graviter erratum est, quod, quae in archetypis ad annum 1273 relata sunt, in hoc libro ad a. 1265 referuntur, qui error inde ortus est, quod lacuna, quæ in archetypo exstat, continens annos 1265—1273, a compilatore, qui rationem temporum notandorum non teneret, non est animadversa. Hoc modo tota annalium pars posterior perturbatur. Item repetuntur eaedem res ex utroque fonte, ex. gr. ad a. 1274 (ex E) et ad a. 1277 (ex D). Hic igitur liber, quum archetypa in No. 420, 4. servata sint, nullius pretii est.

Auctore A. Magnaeo in notis, libro ab initio affixis, excerpta est haec collectio ex duabus membranis Skalholtensibus a viro, cujus doctrina postea innotuit, sacerdote Johanni Haldori filio Hitardalensi (Finni episcopi patre) etiam tunc adolescente. Librum sibi scribendum curavit colonus quidam, nomine Bjarnius Arnii filius, Skumstadis (in toparchia Rangarvallensi) habitans, a quo deinde Mödruvallos ad coenobii curatorem, Laurentium Scheving transiit, a quo eum A. Magnaeus a. 1705 sibi comparavit. Hujus libri duo apographa, facta, alterum a sacerdote Thorleifo Claudii filio, Utskalensi in toparchia Gullbringensi pastore, alterum a Grimo Arnii filii Mödruvallensi (1695), ipse A. Magnaeus, ut quae nulli usui essent, delevit.

H. M. A. *Magn.* No. 429, 4to *v*).

Fragmenta duorum diversorum annalium chartacea, in duobus fasciculis:

a) fragmentum annalis in foliis solutis, quorum pars putrefacta est, continet annos 1176—1427, litteris non notatis, annorum vero numeris ubique ad singulos annos adscriptis. Comparando apparet, esse hunc librum (quem seculo decimo sexto scriptum

v) In catalogo collectionis Arnæmagn.: *Odda annálar, sem eignaðir eru Sæmundi fróða, með hendi Snæbjarnar Pálssonar*, i. e., Annales Oddani, qui Sæmundo multiscio tribuuntur, manu Snaebjörni, Pauli filii. Quae vero eam ob causam huc non quadrant, quod hic liber omni auctoritate caret, ita ut fontes ejus tantummodo, si reperiri possint, indicerent, quatenus hic annalis ad Oddanos pertineat. Praeterea catalogi verba cum temporum ratione non videntur congruere; hic enim liber non paulo ante tempora Snaebjornonis Pauli filii videtur esse scriptus. Hic vero Snaebjorn, Mála-Snaebjörn appellatus, a. 1767, annos fere septem et nonaginta natus, mortuus est.

putamus) excerptum ex codice, qui pro fundamento fuit in libro No. 417 conscribendo, auctoremque eas tantum res, quae ad Daniam et Norvegiam et imprimis Islandiam pertinerent, colligere voluisse, in quibus tamen negligentissime versatus est. Alia fere aequalis manus hunc librum cum eo, ex quo exscriptus est, videtur contulisse, addens quaedam, quae omissa erant, quamquam in iis, quae alicujus momenti sunt, opus non emendavit. In involucro hujus fasciculi verba: "In collect. annall. littr. M" manu Haldori Einari filii scripta sunt, quae verba haud dubie ad hanc editionem spectant.

b) fragmentum annalis, etiam in solutis foliis scriptum, cui haec praescripta sunt: *Annall fra fæðingu keysara Karlamagnus (Datum hans fæðingar ao. 722 [numero in 742 emendato]) og inn til datum* 1400, *og eg hygg eptir Flateyar annal Styrmirs prests froða, samanlesinn og lagfærður eptir rettu ártali sem ég hefi fundið getað af dönskum, íslenzkum og latínskum historiis, chronicum og sagnabókum endurbættur og viðaukinn.* Quale nunc est fragmentum tantum ad exitum anni 1369 extenditur (Edit. p. 322. g). Ad singulos annos numeri adscribuntur. Quod ad ipsum annalem attinet, dubitari vix potest, quin compendium quoddam sit Codicis No. 410, septentrionalium regionum, praesertim Islandiæ, imprimis ratione habita, sed mira errorum multitudine: ex. gr. ad a. 770 fann Naddoddr Island; 777 fór Íngólfr til Íslands; denuo ad a. 875 Upphaf Ísland(s)bygðar Íngólfs; 1192 Helgi Rögnvaldsson jarl í Orkneyum pro: Helgi Rögnvalds jarls kala í Orkn. Certe quaedam hic inveniuntur, quae in aliis, qui nunc exstant, annalibus non occurrunt; sed tamen his ipsis cautissime utendum est. Quod in inscriptione *Flateyjar annáll Styrmis prests ens fróða* fons laudatur, hoc non recte factum esse apparet, quum hoc fragmentum ex noto illo annali Flateyensi nullo modo desumptum esse possit; contra difficilius est judicare, rectene annales Flateyenses Styrmero (scilicet ut auctori hujus annalis, qualis primum fuit) adscribatur necne.

c) cum his fragmentis conjunctum est unum folium, forma maxima, *Annáll sira Þorleifs Claussonar á Útskálum* (i. e. Annalis Thorleifi sacerdotis Claudii filii Utskalensis), qui ab Islandiae occupatione, ad annum 873 relata, incepit et ad annum 1309 extenditur. Quae hoc folium continet, pauca sunt et exigui pretii.

I. *A. Magn.* No. 412, 4to.

Liber chartaceus, continens annales ab anno 636 p. Chr. n. ad annum 1394. Inscriptio eadem est, quae quartae partis codicis No. 410: "*Annálar um það sèrligt sem til hefir fallit í Danmörk, Noregi, Þýzkalandi og Íslandi, og annarstaðar, frá því datum skrifaðist* 636", i. e., Annales de rebus memoria dignis, quae acciderunt in Dania, Norvegia, Germania, Islandia, alibi, jam inde ab anno 636. In ipso annali litteris tantum dominicalibus anni notantur et numeris ad decimum quemque annum adscriptis, usque ad annum fere 1100; deinde vero anni perpetuis numeris notantur

aut scribuntur, alia tamen plerumque manu. Hoc libro non tam multa continentur, quam Num. 410. sed tamen apparet, ex eodem fonte utrumque ortum esse, quod quum aliae res, tum inscriptio plane declarat; quumque appareat, librum Num. 410 compositum esse ex annalibus regiis et eo, quem hic describimus, annali, a vero non abhorret, hunc descriptum esse ex antiquiore codice, quo alterius auctor usus sit cum Annalibus Regiis, qui dicuntur, vel potius eorum apographo. Recentiori etiam manu in folio primam paginam tegente notatum est, hunc librum (I) vetustiorem esse libro F (410). A. Magnaeus opinatur, hunc librum scriptum esse ab amanuense qvodam sive scriba Episcopi Thorlaci Skulii filii, nec dubitandum esse, quin in possessionem Torfaei a sede episcopali Holana (unde nomen: ann. isl. v. Holenses) venerit, quum adjuncta esset *drápa* (s. carmen) in honorem episcopi Gudbrandi, a sacerdote Magno Olavi filio compositum, quae nunc inde separata est, quod jam ab ipso Arna Magnaeo factum esse videtur. Hujus rei solitum signum exstat, quod ultima pagina crassis atramenti lituris ita inducta est, ut legi nequeat, quo etiam factum putamus, ut hic plane obliterata sint, quae ad duos extremos annos pertinentia in No. 410 inveniuntur. In prima pagina ipse Arnas Magnaeus scripsit: "Hos annales mihi Arnae Magnaeo dono dedit Th. Torfaeus, historiographus regius, 1689". In exteriori involucro manu Arnae extat titulus: "*Annales Islandici s. Holenses*", et in tergo: *Annall.* Apud *F. Johannaeum* l. c. appellantur *Holenses recentiores*; cfr. *Antiqu. Americanæ* p. 258. *Abr. Kall*, in nota quadam manu scripta, opinari se dicit, annali Flateyensi, qui eodem anno desinit, hunc esse vetustiorem.

K. *A. Magn.* 424, 4to.

Codex chartaceus, continens apographum *Annalium Resenianorum* (in codice membranaceo, bibliothecæ *Petri Resenii* A. 1728 incendio perditi), manu ipsius A. Magnaei alternis paginis scriptum. Annali, cui praescripta sunt haec verba: "ab initio non pauca desiderantur", ab anno p. Chr. n. 228 incipit, sed 1295 desinit. Singuli anni litteris tantum dominicalibus notantur et interdum vicesimus quisque annus numero in textu adscripto; sed in apographo singulis annis numeri apponuntur. Archetypi cum in scribendo errores et compendia curiose notata sunt, tum orthographia accuratissime servata. Lacunae hic illic indicantur. De hoc annali, affixis propria manu scriptis schedulis, Arnas prodidit, eum in imo sinistræ paginæ desiisse, ut certo definiri non possit, utrum integer fuerit, necne; sed certe paucos tantum annos perire potuisse, quum ultima manus, pertinens "ab anno 1283 usque in finem", ea sit, quae in "catalogum pontificum Romanorum" addiderit nomina: Honorius IV. (1285—87), Nicolaus IV. (1288—92), Celestinus V. (1294), Bonifacius VIII. ("qui coepit 1294 et obiit 1303"); ex quibus sic concludit: *hefir svo þessi scriba eigi vitað af neinum páfa eptir Bonifacium* ɔ: hic igitur scriba nullum papam cognovit post Bonifacium. Neque tamen negat, annalem fortasse ad annum 1302 vel 1303 continuatum esse, id est, quoad mors

Bonifacii non innotuit; amplius negat. In schedula apographo praemissa, alia manu haec scripta sunt: "codicem membraneum, ex quo exarati sunt hi annales, autographum esse verisimile videtur, exaratumque circa annum in quo hi annales desinunt; adde quod nonnulla hujus libri exarata sint circa annum 1254", quibus Arnas addit: "variis antiquis manibus exarati sunt *framanaf*, *hafa ymsir sett það og það til*, *en allt er gamalt*" ɔ: quod ad primam partem attinet, variis antiquis manibus exarati sunt; alii alia addiderunt; sed omnia antiqua sunt. Haec (aliarum manuum) additamenta in apographo notata sunt.

De hoc annali, qui in ea collectione, quam episcopus Brynjolfus Suenonius conficiendam curavit, non est adhibitus, cfr. *H. Einari* hist. litt. Isl. p. 129 et *Antiqu. Americanæ* p. 257.

L. *A. Magn.* 417, 4to.

Liber chartaceus, continens annales a quartae, quae dicitur, sive Romanae, monarchiae initio, quum Julius Caesar rerum potiretur, id est, ab anno mundi 3916 ad annum 1427 p. Chr. n. Prima verba haec sunt: *Anno mundi, þat er arum eptir sköpun þessarar veraldar þrjár þúsundir níu hundruð og XVI ar byrjaðist sú fjórða monarchia*", i. e., anno mundi — i. e. annis post creationem hujus mundi — 3916 incepit quarta monarchia, cett. Singuli deinceps anni notantur et "anno mundi" et numeris usque ad annum mundi 3960. A Christo nato nova pars incipit, tali quodam genere praefationis: *Jesús Kristr eilífr kóngr ok kennimaðr, ljómi föðursins*, ɔ: Jesus Christus, aeternus rex et praeceptor, splendor patris, cett.; deinde quaedam de *Fróði friðgóði*. Jam ipse annalis sequitur, ubi singul ianni et anno Christi et numeris annorum æræ christ. notantur. Anni, ad quos auctor, quod adscriberet, non habuit, omissi sunt.

Dubitari vix potest, quin hic annalis ex parte profectus sit a *Lögmannsannáll* (Annali Nomophylacis), qui dicitur, sive *Skalholtino novo* (420 B. C.; Apogr. 248 forma maxima; 427 a—b. 4.), ita tamen, ut ex aliis annalibus quaedam addita sint. Annorum quoque numeri cum illo annali (qualis est in apographo Arnæmagnaeano 427 a) congruunt usque ad finem anni 1317; post quem annum aliquantum discrepant, propter hujus compilatoris imperitiam, ut, qui re vera annus 1319 est, hic fiat 1318, et sic porro. Haec unius anni discrepantia extenditur usque ad annum 1394 in hoc annali, ubi annus 1394 alterius annalis 1395—1397 continet. Haec duorum annorum discrepantia posterius uno anno augetur, ut annus 1427 in hujus annalis fine alterius annalis anno 1430 respondeat, id quod, ut antea diximus, non fontibus, sed soli compilatoris incuriæ vel imperitiæ tribuendum est.

Scriptus est liber posteriore parte seculi sexti decimi (circiter annis 1579—80), litteris parvis et densis, sed satis claris. Manus valde similis est Vigfusi Johannis f. cujus a nobis ad 420 c. mentio facta est. Orthographia mala est, multaque et nomina propria et alia vocabula depravata. In margine permulta addita sunt (quae

ad annos **1205—1284** pertinent, in scheda, libro praefixa, e codice M. desumpta esse dicuntur), additamenta maximam partem eadem manu scripta; sed quum liber humore aliquantum vitiatus sit, haec additamenta hic illic legi vix possunt, et ultima folia reglutinata sunt. In priore pagina extremi folii lacuna ab A. Magnaeo cxpleta est, a quo ceterum nihil de fatis hujus libri annotatum invenitur.

Hi annales a *F. Johannaeo* l. c. nomine *Annalium breviorum* commemorantur.

N. *A. Magn.* **423** a. 4to.

Fragmentum annalium Islandicorum membranaceum, tribus foliis constans, forma quarta oblonga, toto margine desecto, incipit in anno **1328**, his verbis: "*byskupanna. Kallaði Laurencius at þat pactum œtti at haldast*", i. e. episcoporum. Contendit Laurentius id pactum debere servari", cętt., et continuatur usque ad annum **1372**, ubi sic desinit: *utquama — Andrès bonda með hirðstiorn um alt land.* ɔ: reditus Andreæ Coloni universæ Islandiæ præfecti." Anni tantum litteris dominicalibus notantur. Ex his foliis primum et secundum videntur scripta esse posteriore parte seculi dccimi quarti, nisi quod paucis quibnsdam locis recentior manus apparet; tertium vero tribus certe manibus scriptum est, quae omnes videntur recentiores. Pluribus locis quaedam erasa sunt, quae lacunae postea, etiam recentiore manu, sunt expletae. Una manuum recentiorum, ad seculum decimum quintum referenda, scribendi ratione peregrinum scriptorem prodit. Huic fragmento subjunctum est ejus apographum, quod, in octo foliis formae maximae, inter se connexis descriptum est manu Johannis Olavi filii Grunnavicensis; praeterea satis prolixae quaedam A. Magnaei annotationes de annali quodam, quem Sigurdus (postea in Islandia nomophylax) Björnonis filius adolescentulus (annis 1664-65) scripserat, rogatu nomophylacis Sigurdi, qui Einarsnesi habitavit, Johannis filii; qui liber, quem Arnas pravissime esse descriptum dicit ex ea annalium collectione, quam episcopus Brynjolfus Svenonius per Johannem Erlendi filium conficiendam curaverat, nihilo tamen minus videtur aliquantum in Islandia divulgatus, ut vero simile est, quia se compendium quoddam esse profiteretur ex pluribus optimis fontibus derivatum. Arnas duo hujus libri exemplaria, quibus solis potitus est, delevit.

Ipsa folia membranacea, Arnas notavit, fuisse quidem Skalholti temporibus episcopi Brynjolfi Suenonii, quem ea novisse necesse fuerit, neque tamen adhibita esse in harmonica illa, quam supra diximus, annalium collectione elaboranda. (Cf. quae Arnas ad 423 b. annotavit.)

A. Magn. **423** b. apographum est fragmenti illius membranacei annalium islandicorum (1328-72), sub num. **423** a. asservati, quod proxime descripsimus, alternis paginis ab ipso A. Magnaeo scriptum, qui litteras dominicales, quibus anni notati erant, retinuit et praeterea singulis annis numeros addidit. Archetypi orthographiam et interpunctionem partim accurate secutus est, partim diligenter notavit.

Monendum est, hoc apographum in nostra editione p. 276, lin. 9, et 277 in varr. lectt. c) et e), errore typographico notatum esse littera O.

II.

Quaedam ex annalium codicibus in hac editione omissa.

p. 22. (978) *Voru sênar elldligur fylkingar á himni um alla nótt V. Kal. Novembris;* i. e. igneae acies in coelo apparuerunt per totam noctem quinto Cal. Novembris add. Ann. Reg. C (*Scr. rer. Dan.* III. p. 34).

p. 62. (1149) C sic incipit: *Transsitus sancti Malachiæ archiepiscopi Hiberniæ in Clarualle. Leiðzla Duggals á Irlandi*; i. e., Transitus s. Malachiae archiepiscopi Hiberniae in Claravalle. Dubgali in Hibernia ecstasis; *S. r. D.* III. p. 56.

p. 78. (1191) C add.; *vatnavöxtr*, i. e. fluviorum incrementa.

p. 94. (1218) D, add. *Snörtr þórðarson tók til at fasta ad in passione.*

p. 94—96. (1220) expeditionem, quam Skulius dynasta in Islandiam facere constituerat, cett. C his verbis commemorat: *Herferð búin til Íslands af Skúla jarli. Hákon konúngr görði Snorra Sturluson lendan mann, ok þá fór Snorri til Íslands.* i. e. Expeditio in Islandiam parata a Skulio dynasta. Haconus rex Snorrium Sturlæ filium satrapæ jure donavit, quo facto Snorrius in Islandiam trajecit". Nec dubium, quin hae res ad hunc annum rectius referantur, quam, ut in editione factum est, ad 1219, quum ea aestate, idem codex (C) testatur, nullam navem ex Norvegia in Islandiam venisse.

p. 96. (1221) C add. *Ob. Arnórr Tumason* i. e. ob. Arnorus Tumii filius; *S. r. D.* III. p. 83.

p. 96. (1222) Add. A, C. *Sèn kometa. Brenna Adams biskups á Katanesi (Kattanesi C). Skota konúngr lèt handhöggva og fóthöggva LXXX manna, er at brennunni höfðu verit, ok dó margir af því*, i. e. Adami episcopi in Kataneso incendium. Scotorum rex manibus pedibusque truncari fecit octoginta viros, qui incendio adfuerant, ex quibus vulneribus multi decesserunt; *S. r. D.* III. 83.

p. 104. (1229) C add. *Utanferð Magnús biskups ok (Gissurar)*, i. e. Magnus episcopus et (Gissurus) peregre proficiscuntur; *S. r. D.* III. p. 88.

p. 108. (1233) post Valg. Styrmirssonar C add. *Ob. Herdís Bersadóttir*, i. e. Ob. Herdis Bersii filia; *S. r. D.* III. p. 91.

p. 110. (1237) *And. þórdr* (C add. *d.* i. e. *djákn) Sturluson*, i. e. Ob. Thordus (C add.: diaconus) Sturlae filius; *S. r. D.* III. p. 92.

p. 124. (1255) pro his verbis: þar fèll ok Finnbjörn, substituit cod. C: *ob. Finnbjörn Helgason.*

p. 126. (1258): *Mariumessu síðari, en lètti (eptir,* i. e. post, add. A) *páskaviku.*

p. 128. (1258) D add.: *Týndiz Hólmdælan fyrir Mýrum; þá týndiz ok Grobussan*, i. e. Ante Myras (sive Paludes, quandam Islandiae meridionalis regionem) periit navis, cui Holmdaela nomen erat; periit etiam navis Grobussa.

— (1259): *Snjófall mikit (fyrir,* i. e. ante, add. D) *Laurentíusmessu.*

p. 134. (1264): ... *skatt ok (fyrir* CF) *Síðumenn.* Post skatt C add. *á alþíngi*, i. e. in comitiis generalibus.

p. 140. (1270); ... post; *Pètr biskup í Björgyn* C add.: *Margrèt drottníng Skúladóttir*, i. e. regina Margareta, filia Skulii; cfr. *Suhm* Danm. Hist. X. p. 610, 656.

p. 158. (1280) Post "*Útkoma Jörundar biskups*" addunt AC: *ok Árna biskups*, i. e. et Arnae episcopi.

p. 186. (1305) post "*And. herra Sturla Jónsson*" C add.: *ok herra Álfr Bessason*, i. e. et dominus Alfus Bessii filius. Hic autem Alfus fortasse idem est, qui sub eodem anno, p. 188, *Álfr or Króki* sive *Krók-Álfr* appellatur; cfr. *Espólín* Árbækur 1. p. 17—19.

p. 238. (1333) post "*kom þat eitt skip til Íslands*" add. A: *ij árum fyrr var bæjarbruni í Björgyn*,, i. e., biennio ante urbs Bergarum incendio deleta est. Cfr. p. 236 (1332), ubi A eadem narrat. Scriptorem Annalium Flateyensium hic ex duobus fontibus hausisse conjicit noster *Joh. Sigurdi filius.*

p. 260—61. (1343). Quae hic traduntur de interitu navium Islandicarum rectius narrantur in A hoc modo: *Braut skip, er á (var) Snorri Fótr; drukknaði hann ok V menn aðrir. Braut Lýsubússuna i pollinum á Eyrum. Lesti Postulasúðina ok varð aptrreka á Seleyri. I Grindavík spónbrautt Augvaldnesbússuna; dó af ij. Braut Katrínarsúðina við Nýjahraun.* I. e.: Interiit navis, in qua erat Snorrius Fotus (sive þes), qui, praeter alios V, periit. Interiit etiam Lýsubussa in ipso portu Eyrano. Navis Postulasúð laesa ad Seleyram rejecta est. In Grindavica ex navi Ögvaldsbussa, fracta et comminuta, duo homines perierunt. Navis Katrínarsúð fracta est ad locum, cui nomen Nýjahraun.

p. 270. (1346) D add.: *Ruzsa konungr herjaði á Svíavelldi, ok segiz, at hann hafi vnnit þann stað, er Sexborg heitir*, i. e. Ruthenorum rex Sueciam invasit, diciturque expugnasse urbem, cui nomen est Sexborg.

p. 282. (1350) post "fæddr Jón Hákonarson" A add.: var *Ólafr Bjarnarson hirðstjóri*, i. e. Olavus Björnonis filius Islandiae praeerat.

p. 320. (1370) post "högginn Jón Klafi eptir dómi" A add.: *Veginn Valgarðr*, i. e. Valgardus occisus.

p. 322. (1371) post "kom út þorgautr Jónsson með hirðstjórn um allt land" add. N

manu recentiore: *sua bar til ı Roma, at saugu Jons biskups ok Sigurdar prests Loptzsonar, at ein hustru mikilshattar gecc ut af einne kirkiu og ætlade heim til herbergia sinna; komu at henne ij ketter storer ok toku í sitt mauttulskautet huar þeirra oc leiddu hana med ser; ok er þeir hofdu leitt nokcura stund, þa tok annar kauttren til orda: er tid? sagde annar; eigi, sagde annar. þa leiddu þeir hana en ok tollaadu þrysuar. þa lietu þeir hana lausa, ok for hun heim, ok þa, adr hun kom heim, þa tok hun sott ok andadizt litlu sidar.* I. e.: Accidit Romae, testibus Jona episcopo et sacerdote Sigurdo Lopti filio, ut ad nobilem quandam matronam, quum ex aliquo templo egressa domum peteret, duae feles, insolitæ magnitudinis, accederent et, quum suam quaeque stolae laciniam arripuisset, secum ducerent. Quod quum aliquantisper fecissent, altera felis loqui coepit: "Jamne tempus est?" inquit. "Non" respondit altera. Quo facto eam ducere perrexerunt atque interea ter locutae sunt. Deinde (matrona) dimissa a felibus, antequam domum venit, in morbum incidit, quo paulo post mortua est.

p. 334. (1383) post "Helgi og Krákr" A add.: *Pálssynir*, i. e. Pauli filii.

p. 369. (1394) lin. ult. post "inflixit" addendum Dominus Vilchinus missam primam die crucis cantavit.

III.

Lectiones quaedam, melioris notae, in textum non receptae.

p. 28. (999) codex A iis est annumerandus, in quibus *Hálogaland* legitur.

p. 32. (1004) L ok ij ár; cf. var. lect. z. C etiam *Lxij ár* (i. e. Lxij annos) praefert; *Scr. rer. Dan.* III. p. 37.

p. 34. (1011) var. lect. *Ljóts* rectior est, quam "Lopts".

p. 58. (1137) et A et B: *Krókaskógi*, quod rectum est.

p. 62. (1149) cf. var. lect. b. A etiam habet: *Markús Marðarsonar*; quod recte.

p. 68. (1168) *Ognhöttr* (non Agnhöttr) lectio est codicis A.

p. 70. (1171) andaðist Reinir ábóti. In A. scriptum est *Reinn*, quod consentit cum *Necrologio Islandico* in *Scr. rer. Dan.* II. p. 510.

p. 72. (1176) pro Sverris Magnúsarson in Cod. A recte scribitur *Sverrir magnus.*

p. 74. (1181) pro þorbjörg Bjarnadóttir scriptum est in C. þ. *Bjarnardóttir.*

p. 80. (1197) *Ormsson* (Ormi filius) legitur in C de Klofa-Bardo.

p. 84. (1204) Andaðist Guðmundr (prestr, i. e. sacerdos) add. C. *múnkr*; cfr. *Scr. rer. Dan.* III. p. 74.

p. 88. (1210) "Frísaland" omissum est in A.

p. 88. (1211) cf. var. lect. r. *Sörli Teitsson* (Sörlius Teiti filius) verum nomen esse, sine dubio concludi potest ex A et C, qui, sequente anno, mortem hujus hominis narrant.

p. 98. (1222) *Sæmundr* (non Sigmundr) *Jónsson* distincte scriptum est in A (cfr. *Necrol. island.* in *Scr. rer. Dan.* II p. 517). Fieri autem potest ut, quod mox in A sequitur, Sæmundi nomen errore irrepserit.

p. 112. (1238) 40 (A: *Lx*) af Sturlu.

p. 114. (1240) cf. var. lect. k. De hoc morbi genere (*heimakonusótt*, ɔ: erysipelas) cf. *Sv. Paulini* íslenzk sjúkdómanöfn in *Isl. lærd. lista fel. rit* ix. p. 220. *Farkonusótt*, quod textus et A habent, fortasse idem morbus est, qui antea vocatur *bólnasótt.*

p. ead. (1241) í Víðidal í Miðfirði; haec duo verba (*í Miðf.*) recte omittit A.

p. 116. (1243) cf. var. lect. u. *Balta*, ex auctoritate codicis C; cf. *Scr. rer. Dan.* III. p. 95 recta lectio est, pro Hjaltasonar.

p. ead. (1244) Víg Hjálms Snorrasonar ok Blasíus Snorrasonar. Haec verba sine dubio plane sunt rejicienda, quum depravata videantur ex his, quae, ex C et ex aliis quibusdam codicibus desumpta praecedunt: *Víg Hjálmssona ok Blasíussona.*

p. ead. (1244) pro Þórðar Bjarnasonar in C scriptum est *Þórðar Bjarnarsonar*, quod rectius.

p. 120. (1249) Ormr Bjarnason (C: *Bjarnarson*).

p. ead. (ann. eod.) *Viðey* recta lectio est.

p. 122. (1253) uxor Gissuri dynastae *Sturlunga saga* III. p. 222, *Gróa* nominatur, quod sine dubio rectius, quam *Þóra.*

p. 124. (1254) ok þeirra Hrana 5. Scriptum est in A: *Víg. Rana ok þeirra V*, i. e. caedes Ranii et quatuor aliorum.

p. 130. (1260) *Rangæinga* (non Rangeyinga) habet A.

p. 135. (1265) var. lect. n. In C, ubi haec adjecta sunt, legitur 4000 pro 400.

p. 138. (1269) Rafns Oddasonar; cf. var. lect. u. A recte: *Oddssonar.*

p. 140. (1271) in his verbis: "Hafði Magnús konungr fjölment"; Aut vocabulum *þing* (comitia) incuria omissum est post *fjölment*, aut ipsum *fjölment* depravatum ex *palliment* (parlamentum), quod in C legitur. Nam *hafa fjölment við einhvern* sermonis rationi repugnat.

p. 146. (1275) til Liðangrs (Liðangrum). Haud dubie legendum esse *Lifangr*, loco in praefectura Störensi et Veradalensi sito, conjecit noster *Joh. Sigurdi.*

p. ead. (1276) in his verbis: Ofriðr milli D. et S. pro *milli* A *mikill*, (ingens) substituit.

p. 164. (1288) lin. 2 pro Rangneiðarsonar C habet *Rangríðarsonar.*

p. 170. (1294) Utanferð herra Þorvarðar. *Narfasonar*, quod additur, falsum est et potius referendum ad *Þorláks lögmanns*, quod sequitur. Hic autem dominus Thorvardus, ut recte creditum est in nota g. est Thorvardus Thorarini filius, qui in C et aliis anno 1295 peregre profectus traditur, cujusque mors in iisdem libris rectius refertur ad annum 1296; cf. *Espólín* Árbækur I. p. 14.

p. 178. (1300) pro Thómas Svartsson (cf. p. 248, ad á. 1338) — in *Sturlúnga saga Thomas Svartarson* — A habet *Snartarson*, quod rectum est. Erat autem hic homo ex parte Islandiae occidentali ortus donumque templo Eyrano (Rafnseyrano) in Arnarfjordo ab eo datum commemoratur in hujus templi inventario (*Joh. Sigurdi*).

p. 180. (1301) í hafi mikjálsmessu. A habet: *um mikjálsmessu skeið*.

p. 186. (1304) lin. 1 pro sögðu A habet *sagði*.

p. 200. (1310) cf. var. lect. t. *Skrautmángi* (non Skrarðsmángi) legitur in C.

p. 214. (1320) lin. 2. pro VII. Kal. Febr. in A *átta* Kal. Febr. legitur.

p. 244. (1336) narratio ex A desumpta: "Frú Blanz .... af Franz" abrupta est et sine sensu, quum antea, p. 242 (1335), loco idoneo posita sit. Nota i) ubi conjectum est, vocabulum *obiit* videri excidisse, omitti debet, quum Blanca anno 1363 mortua sit; cf. p. 312 (1364).

p. 246. (1337) *Grímstöðum* recta lectio est.

p. 262. (1343) Dráp Þorsteins Nikulássonar í Gunnarsholti p. 258 (1342) legitur his verbis: *Víg Þorsteins Gunnhyltings*, secundum A.

p. 272. (1347) "Fóru báðir biskupar .... í landinu" cum quadam immutatione verborum leguntur in A, ubi quae de hoc anno narrantur his verbis incipiunt: *Utanferð Jóns biskups ok Orms biskups í Hvalfirði á einu skipi ok biskupslaust á landinu*, i. e. Johannes et Ormus episcopi in una nave peregre abeunt atque Islandiam sine episcopo relinquunt. In eodem cod. (A) infra legitur: *báðir biskupar fóru utan á einu skipi*, i. e. uterque episcopus in una nave peregre profectus est.

p. 281. v. Recordare domine; leg. *Rec. hominum*. Benedictio dei; leg. *Ben. domini*.

p. 284. (1351) hafð konúngsbréf at utan. Voru stefndir cett. revera in A leguntur: *Konúngsbréf, at utan voru stefndir* cett.

p. 286. (1352) Ólafr Bjarnason legendum est Ól. *Bjarnarson*; cf. 1354 ead. pag.

p. 306. (1362) lin. 1: var hann laminn leg. "enn Jón Guttormsson var laminn." cett. "Jarpr Hanns" leg. *Jarpr, Hannis*.

p. 314. (1365) Vo Jón Klofi. A habet *klafi*, quemadmodum etiam p. 320 (1370). Hic autem Jon Klafi fortasse idem est, qui Jon Narfason, de quo in aliis annalibus a. 1369 (cf. p. 320) supplicium sumptum esse dicitur.

p. 316. (1368) Jón Grávofa. A habet *Grárófa.*

p. 324. (1373) Björn Kolbeinsson. A: *Bjarni Kolbeinsson.*

p. 336. (1384) Hófust Ásgeirsmál. A habet: *Ásgeirsármál*, i. e. lites Asgeirsaenses. Praedium Ásgeirsá situm est in Vididalo toparchiæ Hunavatnensis.

p. 358. (1393) lin. 1: sveita. A habet: *sveinum*, quod interpretatio nostra secuta est.

p. 358. (1393) lin. 7: Jón þórólfsson. A habet: Jón *þórálfsson.*

p. 386. (1412) cod. D post Skúmstöðnm puncto distinguit, post Vestreyjum omnino non distinguit. *Joh. Sigurdi* intelligi putat tractum Landeyjar in toparchia Rangarvallensi Islandiae meridionalis.

IV.

Animadversiones in nonnulla annalium loca.

p. 38. (a. 1022) *Ruðuvetr* sive *Rudduvetr*, hic ut in *Scr. rer. Dan.* III p. 40, "hiems perniciosa" redditur. Nisi vero statnimus, haec duo vocabula plane uno esse sensu, quum ð pro *dd* haud raro positum inveniamus, causas, cur hiems gravis et aspera hoc modo appellata sit, varias informare cogimus, pro ut hanc vel illam lectionem putamus præferendam. Si *ruðuvetr* praeponimus, *ruðu* aut pertinet ad nomen substantivum, quod est *ruða*, i. e., quisquiliae, quo intelligi possunt pinnae piscium et similia, quibus homines et pecudes vitam sustentare coacti sint, ut *Ruðuvetr* sit hiems inediae, aut ad verbum *ryðja*, i. e. vastare, quod ejus hiemis saevitia Islandiam magno animantium numero privaverit. Quod si *Rudduvetr* recta lectio est, prior pars referri potest ad *rudda* (clava), ut toto vocabulo significetur hiems gravis et quasi clavae instar feriens, quae explicatio sine dubio illi est praeferenda, quum praesertim simili ratione hiems aspera anno 1601 *lurkr* (fustis) appellata sit (cf. *H. Finsen*, um mannfæckun af hallærum á Islandi in *Fèl. Rit.* XIV. p. 74). Addi potest, anno 1022 septentrionalem Norvegiae partem magna hiemis saevitia laborasse (*Heimskríngla* II. p. 183).

p. 54. (1118) *Undra-ár*, et in hac editione et in *Scr. rer. Dan.* III p. 51 latine redditum est "Annus mirabilium" (cf. *Kynjavetr* p. 68, *Býsnasumar* p. 84). Spectantur fortasse tempestates saevae et turbulentae, quae quibusdam locis sacra prohibebant, hominesque a templis arcebant atque naves frangebant, unde tantus naufragorum numerus in Islandiam conjectus est, ut fames oriretur (*Kristnisaga* p. 120, 122; *Landnámabók* in *Islendinga sögur* I, 328; cf. *H. Finsen* l. c. p. 41). Ea vero, quae de Holtavatn referuntur, quod furor tempestatis in sublime sustulisse dicitur, in Annalibus regiis (*Scr. rer. Dan.* III p. 50) sequi-

tur narratio quaedam, quae in hac editione omissa est, quum ad ea, quae subsequuntur, quaeque ad res externas pertinent, referenda videretur, etsi fortasse non minus ad ipsam Islandiam pertinet, quare eandem hic sistere e re ducimus: *Þá sýndiz himinn opna paschadag með sva miklu ljósi, at túngls ljós þat vard at engu, er þá átti mikit at vera, ok stóð sva* IIII. *stundir dags. Or glugg þessa ljós sýndiz mönnum hánga cross með gulli ok gimsteinum*, ɔ: Die paschali visum est coelum aperiri tanto cum lumine, ut lunæ lux dispareret, qvæ alioquin magna esse debuit. Hoc per quatuor diei horas duravit. De luminis hujus fenestra crux auro et gemmis ornata pendere videbatur.

Deinde in iisdem annalibus, commemoratis quibusdam prodigiis, quae urbe Vormatiae acciderint, haec adduntur, p. 51: *Roðavetr. þetta er kallat Undraár*, i. e., turbidarum tempestatum hiems. Hic *annus mirabilium* vocatur". Qvæ igitur hic narrantur fortasse non Islandiam spectant, sed ea, quae in Germania acciderunt.

p. 56. (1123) *Grímuþraung*, obscura vox, sine dubio pertinens ad aliquam rem, quae in ea regione evenit, ubi annalium scriptor degebat; in hac editione redditur: pugna nocturna vel brumalis; in *Scr. rer. Dan.* III. p. 51: angustia larvae vel noctis, ubi interpres (*Joh. Olavius* Hypnones.) haec annotavit: "Quid hoc vocabulum sibi velit, non constat; poeticum videtur, forte malum aliquod aëris designans." *Gríma* est 1) conticinium, quando omnia quasi obvelata caligine videntur (*Björn Halldórsson*); 2) persona, larva; 3) poët. nox. (Cf. *Jon Olavsen* Nordens gamle Digtekunst.) *þraung* 1) turba; 2) angustia. Si vocabulum *Grímuþraung* ad ea pertinet, quae de duobus hominibus vulneratis sequuntur, hoc loco fortasse tumultum nocturnum significat.

p. ead. (1127) *Jónsvetr* et hic et in *Scr. rer. Dan.* III. p. 52, vertitur hiems Johannis. Interpretationi *Joh. Olavii* Hypnonesii: "Hiems forte a tempore festi Johannis Evangelistae (die 27. Dec.) saeviens" accessit vir celeberrimus *F. Magnæus*. cf. p. 80 (1200); *Sturlunga* saga I. p. 188; Jónsmessa.

p. 58. (1134) *Múgavetr* hic, ut etiam in *Scr. rer. Dan.* III. p. 52, "Hiems copiarum"; sine dubio rectius redderetur "Hiems catervarum sive factionibus inquieta"; quum hic locus ad ea spectet, quae habet *Heimskringla* III. p. 304: Haraldr konúngr fór austan með landi ok hafði allmikinn her, var þessi vetr kallaðr *múgavetr*, i. e. Interim ab orientalibus regni partibus legendo provehitur Rex Haraldus, gravissimi nunc ductor exercitus, dictaque fuit hæc hiems *Mugavetur* (hiems catervarum s. factiosa).

p. 62. (1150) de varietate lectionis in cognomine Johannis Groenlandiae episcopi vid. *Grønlands historiske Mindesmærker* III. p. 896.

p. 64. (1156) *Seleyjasumar* (Seleyarum aestas) ab ea re nomen invenit, quod, ut in

Heimskríngla III, 373 narratur, ad Seleyjas, insulas promontorio Lindesnæs ad vulturnum, Norvegiae reges Ingius et Eysteinus (filii Haraldi Gillii) ea aestate convenerunt atque inter se foedus inierunt.

p. 66. (1162) *Rèttavíg* et in hac editione et in *Scr. rer. Dan.* III. p. 60, redditur: caedes in pecorum de montanis reductorum claustris facta. Spectatur fortasse res, quae in *Sturlúngasaga* I, p. 114 his verbis narratur: *þau misseri... börðust menn at Reykjum í Flóa suðr* (i. e. hoc anno pugna extitit Reykis in regione Floana, quae est in Islandia meridionali), ubi *rèttum* var. lectio est pro *Reykjum*. Cf. *Lögrêttubardagi*, quod proxime antecedit.

p. 68. (1164) *Karlshríð Gregoríusmessu* in hac editione redditur: procella, Caroli dicta, festo Gregorii (die 12. Martii) saeviens; in *Scr. rer. Dan.* III. p. 61: "procella, dicta Caroli impetus, Gregorii festo saeviens". Veri simile est, intelligi nivalem ventum, quo Carolus quidam interierit. Haec autem tempestas cum eodem terrae motu fortasse cohaeret, qui ad eundem annum commemoratur; cf. *Sturlúnga saga* I. p. 114.

p. 70. (1171) *Skriðna mannskaði*, i. e. ruinis montium homines interfecti. Var. lect. *Skriðnavetr*, i. e. ruinarum montanarum hiems; cf. *Scr. rer. Dan.* III. p. 63. Res in *Sturlúnga s.* I, p. 115, distincte narratur his verbis: *þau misseri fórust* 80 *manna í skriðum ok var kallaðr býsnavetr*, i. e. hoc anno perierunt 80 homines ruinis montanis; ista hiems dicta est hiems portentosa. Cf. *býsnasumar*, Ann. p. 84 (1203).

p. 78. (1194) *Svalbarðsfundr* et in hac editione et in *Scr. rer. Dan.* III p. 71 vertitur Svalbardensis conventus, quo significari potest aliqua congressio in praedio Svalbarð, quorum unum situm est non procul a litore ejus sinus, qui ab insulis nomen traxit (Eyjafjörðr), in toparchia Vadlensi, septentrionalis Islandiae (cf. *Fornm. sög.* XII, p. 357). Alia lectio est: *Svalbarði fundinn*, quae significat inventam esse oram frigidam, i. e. Groenlandiae orientalis litus, quod ad euronotum jacet. Quae lectio et a *Suhmio* (Danm. Hist. VIII p. 347) comprobata est, et in *Grønl. hist. Mindesmærker* III. p. 46.

p. 80. (1196) *Rauðsmál* et nostra editio et *Scr. rer. Dan.* III, p. 71 interpretatur: Rödi causa (lis forensis). Quum vero tale nomen (*Rauðr*) in Annalibus alias non inveniatur, verisimilis est Viri Cel. *Finni Magnaei* conjectura, totam vocem contractam vel depravatam esse ex *Rauðasandsmál*, et sic ad ea verba (*Víg Markúsar á Rauðasandi*), quae proxime antecedunt, spectare.

p. 102. (1226) *Rotusumar et mikla*, i. e. aestas humidissima (cfr. Lectio var. *vætusumar* ɔ: æstas humida) quod accuratius, quam: 'aestas admodum turbulenta" ut habent *Scr. rer. Dan.* III. p. 86. Consentit *Sturlúngasaga* II p. 89: *sumar þetta var illt ok volviðrasamt*, i. e. hac aestate tempestas erat mala et humida.

cf. *Finsen* um mannfæckun af hallæri l. c. p. 46 (*H. Einari* interpretatio danica p. 20).

p. 102. (1227) *Sandvetr* (*á Íslandi*), i. e. hiems in Islandia eruptione arenæ insignis. Annus antecedens vocatur *Sandfallsvetr á Íslandi*, i. e. hiems in Islandia arenosa pluvia insignis. Cf. *Finsen*, l. c. p. 45.

p. 106. (1231) *hettusótt* et hic et in *Scr. rer. Dan.* III. p. 89 redditur: tumor partium colli exteriorum; cf. p. 204 (1313), ubi idem vocabulum redditur "morbus cucullaris", ab *hetta* (cucullus). Res in *Sturlungasaga* II p. 128 his verbis commemoratur: *um haustit fór yfir land allt sótt sú, er kölluð var hettusótt; af henni andaðist Ingimundr Jónsson*, i. e. auctumno per universam Islandiam grassabatur morbus, *hettusótt* dictus, ex quo obiit Ingimundus Johannis filius. Ceterum de hoc morbi genere (hydrocephalo, angina, febri scarlatina) vid. *S. Pálsson* islenzk Sjúkdómanöfn in *Rit þess ísl. Lærdóms-lista Fèlags* IX. p. 222, X. p. 36, 37; cf. *H. Finsen* l. c. p. 46.

p. 108. (1234) *missætti höfðíngja*; 10 *setur*, i. e. discordiae inter magnates; decem praesidia. *Seta* est mansio, sessio, consessus; cf. *Glossarium Nialae*. *F. Magnaeus* putat hoc ita intelligi debere, praesidia armatorum decem locis constituta fuisse, quo talis sensus emergat: magnatum X in sua quisque villa praesidium habuit.

p. 110. (1236) *rán í Dal*, i. e. rapina Daliae. *Dalr* (vallis), sub montibus Eyjafjöll in toparchia Rangarvallensi situm, erat unum ex maximis praediis Snorrii Sturlae filii, ubi, hoc anno, Reykholto fugiens, aliquamdiu moratus est; *Sturlúnga s.* II. p. 176 sqq. cf. vita Sn. Sturlaei, praemissa *Heimskringlae* editioni Havn. I. p. xli; *F. Magnussen* Sn. Sturlesens Levnet p. 17.

p. ead. (1237) *Hákon konúngr krossaðr*, i. e. Rex Haquinus cruce signatus. In codice H legitur *kórónaðr* (coronatus), nec recte; quam nihilominus lectionem secutus est *Suhmius* (Danm. Hist. IX. p. 678).

p. 116. (1242) *Brúarfundr*, et in nostra editione et in *Scr. rer. Dan.* III. p. 95: Conventus Bruensis. Intelligitur autem conventus ad *pontem* Hvitaensem inter Uraekiam Snorrii filium et Kolbeinum Juvenem, quorum uterque suis sectatoribus stipatus erat; vid. *Sturlúnga s.* II. p. 254 sqq.

p. ead. (1243) *Birtist helgi Vilhjálms djákns í Björgyn*, i. e. sanctitas Vilhelmi diaconi Bergis apparuit. Intelligitur sine dubio aliquis in Norvegia homo pro sancto habitus, qui re vera in numerum sanctorum nunquam relatus est; cf. *Suhm* Danm. Hist. X. p. 30. *Joh. Kraftius*, vir. Cel. in opere egregio, quod inscribitur *Norges Beskrivelse*, IV. p. 295, conjecit, templum sancti Vilhelmi, quod ante religionis christianae doctrinam emendatam Bergis erat, ab hoc Vilhelmo nomen adeptum esse.

p. ead. (1244) *Flóafundr með Þórði Sighvatssyni ok Kolbeini únga Arnórssyni*, i. e. praelium in sinu Húnaflói commissum inter Thordum Sighvati filium et Kol-

beinum Juvenem, Arnori filium. Intelligitur navalis illa pugna, qua hi duo viri in sinu Húnaflói inter se decertarunt, quae et in *Sturlúngasaga* III. p. 60 sqq. describitur et in *Necrologio islandico-norvegico* (*Scr. rer. Dan.* II, p. 512), ad diem 24. Junii commemoratur his verbis: *bardagi á Strandaflóa*, i. e. pugna in sinu Strandensi.

p. 120. (1248) *boðorðabreytni*, i. e. sacrorum institutorum mutatio. Intelliguntur sine dubio constitutiones et edicta, quibus Vilhelmus cardinalis, anno 1247 in Norvegia, ad Haquinum regem coronandum, commoratus, multa in rebus ecclesiasticis immutavit, quaeque postea in Islandiam introducta sunt; vid. *F. Johannaei* Hist. eccl. Islandiae I. p. 233—35. Idem Vilhelmus cardinalis regi Haquino id consilii dedisse dicitur, ut Islandiam sibi subjiceret.

p. 122. (1252) *Hellufundr*, i. e. conventus Hellensis. Intelligitur conventus in praedio Borgarfjordensi Hella, ubi inter Thorgilsum Skardium, Rafnum Oddi filium aliosqve de Gissuro dynasta adoriendo convenit; vid. *Sturlúnga s.* III. p. 143, 145; *Torfaei* Hist. Norv. IV p. 320; *F. Johannaeus* I. p. 364.

p. 130. (1262) *fyrir utan Þjórsá* in hac nostra editione, ut in *Scr. rer. Dan.* III. p. 103, parum distincte expressum est: ultra amnem Thiorsa. Haec enim verba auctorem arguunt Oddæ vel fortasse Skalholti degisse, adeo ut significent: in parte quadrantis australis occidentem versus jacente (J. Sigurdi).

p. 138. (1268) *Ryskissótt* á Íslandi, ubi in aliis codicibus est *ryskjusótt*, *ryskusótt*; quod vocabulum neque in hac editione neque in *Scr. rer. Dan.* III. p. 110 latine redditum est. Gudmundus autem Magnaeus (in *Saga Egils Skallagrímssonar* ed. Magn. p. 616) hanc vocem ita interpretatur, ut sit "morbus acutus, cum totius corporis concussione incipiens". Quod si recte se habet, vocabulum derivatur a verbo *ryskja* (concutere, cf. Dan. *ruske*), nec multum distat a *rykkir*, *rykkíngar*, i. e. convulsiones; vid. *Sv. Pauli* in *Rit þess ísl. Lærdómslistafèlags* X, 30. *Joh. Sigurdi* f. hunc morbum eundem esse putat, ac *flekkusótt*, i. e. scarlatinae genus (a *Sv. Pauli* filio febris petechialis appellatum); *ryskjur* enim significare virgas vel maculas diversi coloris in lana ovium (*ryskjóttr*, *mó-ryskjóttr*, *svartryskjóttr*). Ceterum var. lectio *hrossasótt* non indigna videtur, quae respiciatur.

p. 161. (1285) var. lectio: *fundust Dúneyjar*, i. e. detectae sunt Insulae plumiferae. Hae insulae, ad Americam sitae, sine dubio nomen invenerunt ab ingentibus acervis plumae, quam aves marinae relinquunt. Intelliguntur fortasse duae insulae Newfoundlandiae adjacentes, Baccalao et Penguin; cf. *Ant. Americanae* p. 259-452; *Grønl. hist. Mindesmærker* III. p. 51.

p. 180. (1301) *hann drap ... 11 skorar af karlmönnum ok 7 skorar af börnum ... eru 4 hundruð í skor*, i. e. undecim scoras virorum et 7 scoras infantum occidit ...

scora (autem) quadringentis constat (cf. *Scr. rer. Dan.* II. p. 197), ut ex adultis 4400, ex pueris 2800 mortem obierint; quum *Torfaeus* (Hist. Norv. IV. p. 401) numerum adultorum circiter 5000, puerorum circa 3000 faciat (cf. *Suhm* Danm. Hist. XI. p. 396). Vocabulum *skor* proprie est incisura in talea, ad singulam aliquam rem designandam; tum major numerus ab 8 usque ad 100 vel etiam 400, qui numerus fortasse pro maximo habitus est, quem talea capere posset. Vox Anglica *score* viginti significat. Si rerum nexum hoc loco spectas, veri similius est verbo *skor* 8 quam 400 significari; cf. *Snorra Edda* (ed. *Raskii*) p. 197: *átta bera ámœliss k o r.*

p. 182. (1302) post *Ulanferð . . . herra Lodins af Bakka* additum est in cod. G. *ok var hann hengdr*, i. e. qui tum suspendio interemtus fuit; id quod errore ex Auduno Hestakorn translatum est in Lodinum Bakkensem, Biörnonis filium, qui secundum ea, quae in *Samlinger til det norske Folks Sprog og Historie*, II. p. 194, demonstrata sunt, anno certe 1303 mortuus non erat, eujusque praedium, Bakki, sine dubio situm erat in parochia Orkadalensi, australis Thrandheimiae praefecturæ.

p. 208. (1315) *Brann kirkja á Stóruvöllum.* In C, ubi hic locus lectu est difficillimus, scriptum esse videtur: *á Landi.* Quod Joh. Sigurdi pro recto habendum esse putat, si legitur *Stóruvöllum,* quum praedium eo nomine etiam nunc extet in regione Land, quæ sita est in toparchia Rangarvallensi. Ultimum autem verbum videtur ei esse *lægra*, ut in *Scr. rer. Dan.* III. p. 129. Ceterum putat, totum fortasse locum corruptum esse ex iis, quae antecedunt: *Kirkjubruni á Stað á Reykjanesi.*

p. 210. (1316) *Týndist skip Loðins biskups af Færeyjum,* i. e. navis Lodini, episcopi Færeyarum, ... periit. De hoc Færeyensi episcopo, qui in literis norvegicis Ludovicus appellatur, vid. *Grønl. hist. Mindesmærker* III. p. 102.

p. 216. (1320) post *Jónsmessudag* F et H add.; *næsta dag eptir festum Vincentii.* Veri simile est intelligi diem Johannis Chrysostomi, sive diem Januarii XXVII. (qui in calendario islandico dies Chrysostomi appellatur) quum festum Vincentii martiris in diem XXII. Januarii incideret. Videntur etiam confundi Arnas episcopus Helgii filius, qui obiit hocanno ante diem VIII (in A scriptum est: *átta*) Kal. Febr., i. e. die 25. Januarii, vel, si D sequimur, ante diem XII Kal. Febr., i. e., die 21. Januarii (cf. p. 214), atque Ormus Thorsteini filius, episcopus electus, qui mortuus est die Johannis.

p. 222. (1326) var. lect. *víðast í brautsöngum* (*burtsaungum, Espolín* Árbækur I. p. 56). Est autem *braut* sive *burt* idem quod Dan. vox *bort* (Germ. *fort et weg*). Significantur sine dubio sacra in oratoriis et templis annexis (opposita sacris domesticis, *söngvar heima* sive á *heimakirkjum*), atque ita accuratius definitur sensus verborum *í sumum stöðum,* quae textus habet.

p. 228. (1330) *klippíngum* redditur: coriis ovium exsiccatis; *klippíngar* autem potius coria ovilla depilata significant. De his aliisque rebus, quibus decumae solutae sunt, cf. *F. Johannaei* Hist. eccl. Isl. IV. p. 131—33.

p. 244. (1336) *Árni áböti af Lýsu hálshögginn við England... af duggurum*, redditur: Arnas abbas de Lysa ad oram Angliae decollatus fuit ... a *duggaris* (piratarum genere). *Dugga* parvam navim (Dan. *Jagt*), praesertim piscatoriam, significat; suntque *duggarar*, qui in ejusmodi nave vehuntur, potissimum piscatores Batavi et Belgae. Ad annum 1666 commemorantur naves piscatoriae (*fiskid u g g u r*) Anglicae (*Espólín* Árbækur VII. p. 45); adeo ut *duggari* eo tempore facile piratam significare potuerit. *Torfaeus* autem (Hist. Norv. IV. p. 462) minus recte "praedones Gallici" interpretatus est.

p. 270. (1346) *kom knörrinn af Grænlandi með heilu*, i. e. navis oneraria ex Groenlandia incolumis ... advenit. De hoc in Groenlandiam itinere conjecturae quaedam propositae sunt in *Gronl. hist. Mindesmærker* III. p. 121, 463.

p. 280. (1349) var. lectio vj: cc ok lx d., i. e. 260 daga. DC.d, i. e. 600 daga.

p. 306—8. (1362) Carmen Snacolfi, quod in hac editione codicem A ad verbum exprimit, quodque jam antea editum est, quum in *Eddae Resenianae* (Hafn. 1665) addendis, fol. n, s, (cfr. p. 24. b.) tum in *Espólín*, Árbækur I. p. 94, e sententia Joh. Sigurdi f. editio Espoliniana rectius assecuta est, quam scriptor codicis A, praesertim in stropha ultima. Est enim *Kilpr* nomen viri omnino ignotum; neque ullo modo statui potest, pro Smido, qui in hoc carmine primas tenet, novam a poëta personam esse introductam, cujus morte res consummaretur; sensus vero eruitur commodior, si cum Espolino legitur: *Kylfu heyrði högg* (clavarum ictus sonabant; cf. lin. 1: *enn Jón Guthormsson var laminn með járnreknum kylfum til bana*). *Hjálm gríðr* — i. e. gigantis galearum sive galearum perditrix, quod securim valet, in unum verbum conjungenda sunt; *tögg*, quae forma ceterum non occurrit, nisi in rythmis recentioribus (Rímur), idem est, ac *tuggði*, i. e. mandebat.

p. 308. (1362) *Hófust Risamál*, i. e. Risorum lites initium coeperunt, et p. 334 (1382) *varð endiligr vegr á Kisamálum*, i. e. tandem causae Kisianae [ad finem] peractae sunt. Lectio codicis Flateyensis (*kisamál*), quam secutus est *Espolinus* (Árbækur I. p. 95—106), quum idoneo sensu careat, *F. Magnaeus* jure statuit, legendum esse *Rísamál*, i. e. lites de praedio *Hrís* sive *Hrísar* fortasse in Borgarfiordo sito; vid. *Landnámabók* in *Íslendínga sögur* I. p. 59, 60; cf. indicem geographicum.

p. 330. (1380) *lagði þegar hríðir á at fimm vikum*, i. e. jam quinque hebdomadibus ante hiemis initia tempestates nivosae ingruerunt. *F. Magnaeus* interpretatur: quinque tantum hiemis hebdomadibus praeteritis, id est: circa diem 20. Nov.

p. 342. (1389) *Dráp herra Malis Sperru í Hjaltlandi*, i. e. caedes domini Malis Sperrae in Hjaltlandia. De hac caede atque omnino de hoc homine, *Malise le Spere*, dynasta Scoto, magni momenti sunt, quae protulit *P. A. Munch*, vir celeberrimus, et in tractatu geographico-historico de Orcadibus et Hjaltlandia (*Samlinger til det norske Folks Sprog og Historie* VI. p. 491) et in disquisitione de gente Arnmödlingorum Norvegiæ (*Annaler for Nordisk Oldkyndighed*, 1846, p. 179, 182, 210); cfr. *Diplomatarium Norvegicum* I. p. 366.

p. 350. (1391) *andaðist síra Páll ... hafði Hákon Jónsson kyrsett allt hans gótz, en sjálfr umsagðr* ɔ: dominus Paulus ... diem obiit, cujus omnia bona Habuinus Jonae filius in sequestro posuerat, quapropter ipse male audiit. Lectio sequitur codicem Flateyensem; sensus vero et *F. Magnaeo* et *Joh. Sigurdi* f. (qui *sjálfr* potius ad Paulum sacerdotem referendum esse putat) videtur perobscurus.

p. ead. (ad eund. ann.) *urðu áverkar met Sumarliþa ... ok Runólfi ... tók meir Sumarliða ok hans mönnum* i. e. Sumarlidius ... et Runolfus ... invicem pugnarunt; Sumarlidius vero cum suis superior evasit. Sed his verbis re vera hic sensus inesse videtur: Sumarlidius et Runolfus (eorumque sectatores) sibi invicem vulnera intulerunt; res vero *contra* Sumarlidium et suos prosperius cessit. Cf. *Espólín* Árbækur I. p. 111.

p. 352. (1392) *kom Þjóðbjörn út með bréf drotníng Margrètar*, i. e. Thiodbjörno cum edicto reginae Margaretae in Islandiam venit. Videtur autem hoc edictum non diversum fuisse ab eo, quod in *F. Johannaei* Hist. eccl. Isl. I. p. 441 commemoratur.

p. 352. (1392) vocabula *Pètr* et *steikari* in codice Flateyensi supra lineam addita sunt, neque *steikari* et *smásveinn* signo commatis distinguuntur.

p. 360. (1393) *Jarðaðr inn at Bræðra.* Qua de causa Sti. Olavi coenobium Minoritarum Bergense hoc nomen adeptum sit, demonstratum est a *Chr. Langio* viro celeberr. opere *Norske Klostres Historie* p. 110, 530 cf. *Diplomatarium Norvegicum* I. p. 195.

p. 388. (1412) *hengja ... fyrir stakk* lectio codicum chartaceorum obscura et incerta, ut fortasse conjicere liceat, legendum esse *höggva fyrir stokk*, i. e. in trunco caput præcidere. Ceterum *stakkr*, monente *F. Magnaeo*, cum fæni cumulum, tum vestimenti genus (paenulam quandam brevem et crassam; praesertim vero mastrucam glabram) significare potest.

p. 390. (1413) *var fyrst talat um Björgvínarkaup; vildu Enskir þar ekki til hluta*, i. e. primum incolæ de mercatura Bergensium disputarunt, cujus exsortes Angli fuere (s. quod Angli non curarunt?). Sed vix dubitari potest, quin hoc potius significetur, Islandos in memoriam Anglorum revocare voluisse legem norvegicam, qua cautum erat, ne quis Islandiam mercaturae causa adiret, praeter Bergenses, aut qui ab Islandia redeuntes Bergas appellerent, ut et vectigalia regi debita solverent et

merces venderent, praesertim asellos arefactos, qui plerumque onera navium efficiebant. Cf. *F. Magnussen* om de Engelskes Handel paa Island, *Nordisk-Tidsskrift for Oldkyndighed* II. p. 114 sqq., 136 sqq., 162—64.

V.

De defectionibus solis et lunae, in annalibus commemoratis.

Inter phaenomena naturæ, quorum in annalibus mentio fit, ea praecipue notanda sunt, quae de eclipsibus solis et lunae et de cometis memoriae mandantur. Ejusmodi enim res, opera astronomorum ad certa tempora relatae, magno usui sunt, non solum ad singulos quosdam in temporum designatione errores corrigendos, sed etiam ad fidem annalium scriptoris æstimandam. Ea quidem, quae de hisce annales habent, comparari possunt cum enumeratione omnium defectionum, usque a Christo nato, in Europa, Asia et parte Africae Romanis nota, a tropico cancri in Lapponiam usque conspicuarum, quae continetur in *Edv. Brinckmeieri* libro, qui inscribitur: *Praktisches Handbuch der historischen Chronologie aller Zeiten und Völker, besonders des Mittelalters, Leipzig*, 1843, p. 364—84. Quae vero ex hac comparatione discimus, haec sunt:

p. 56. (1132) A addit: *eclipsis solis.* Apud *Brinckmeierum* refertur ad diem 19. Martii.

p.110,a.(1236) *Eclipsis solis* III. *Non. Aug.* a *Brinckmeiero* etiam refertur ad diem 3 Aug.
— a.(1237) *Eclipsis lunae.* Apud *Br.* die 12. Januarii et 9. Julii.

p. 124. (1255) *Eclipsis lunae* 9. *Cal. Febr.* Etiam apud *Br.* die 24. Januarii.
— (1258) A addit: *eclipsis lunae* II. *Idus Novembris.* Apud *Br.* etiam die 12 Nov.

p. 132. (1263) *Eclipsis solis (áðr um sumarit í Björgvin) Nonas Augusti. Br.* etiam ad diem 5. Augusti refert. Cf. *Annaler for Nordisk Oldkyndighed og Historie,* 1846, p. 327.

p. 146. (1276) *Eclipsis solis.* Sine dubio die 13. Junii; cf. *Brinckmeier.*

p. 178. (1301) Post "andaðist-... herra Oddr Þorvarðarson" A inserit: *eclipsis lunae.* Apud *Brinckmeierum* defectiones lunae hoc anno ad dies 25. Januarii et 21. Julii referuntur.

p. 180. (1302) Annus in A et C his verbis incipit: *eclipsis lunae XIX. Kal. Februarii.* Refertur etiam a *Br.* ad diem 14. Januarii.

p. 186. (1305) Post "Franka konúngr lèt drepa Lokulant" addit A: *eclipsis lunae. Brinckmeierus* hoc anno lunae defectus ad diem 9. Maji et 2. Novembris refert.

p. 202. (1312) *Sólarbrestr í Martio mánuði* (defectus solis mense Martio). Si hic re vera defectus solis intelligitur, compilator (codicis L) parum diligens aut in anno aut in mense erraverit, necesse est, quum *Brinckmeierus* unicæ, quam

hoc anno commemorat, solis defectioni diem 5. Julii assignet, neque ullam, ante annum 1318, ad mensem Martium referat.

p. 226. (1328) 1330 *varð eclipsis solis XVII.* (aliis XIIII.) *Kal. Ágústi, hora nona, luna XXVIII. nátta, yfir halfa eykt* (supra dimidium trihorium) *víða um Ísland. Brinckmeierus* solis defectionem ad diem 16. Julii anno 1330 refert, unde patet, lectionem *XIV. Cal. Aug.*, quam habent nonnulli codices, pravam esse.

p. 234. (1330) *Eclipsis lunae um miðnætti in festo Stephani. Brinckmeierus* etiam defectum lunae die 26. Dec. commemorat.

p. 250. (1339) *Eclipsis solis in translatione Thomæ Archiepiscpi* (D.) ... *Non. Julii. Br.* solis defectionem ad eundem diem (7. Julii) refert.

p. 258. (1340) *Eclipsis lunae. Br.* hoc anno duas commemorat, alteram ad diem Maji 21., alteram ad 13. Novembris.

p. 398. (1424) *Varð eclipsis solis víða um Ísland nær Jónsmessu baptistae.* Intelligatur, necesse est, defectio solis, quae a *Br.* ad diem 26. Junii refertur.

VI.

De cometis, qui in annalibus commemorantur.

Quae in annalibus de cometis traduntur, comparari possunt cum praecipuo de his corporibus cælestibus opere, *Stan. de Lubienitz Theatro cometico*, cujus pars 2da, sive *historia cometarum a diluvio ad a. C.* 1665 *synopsin quandam continens*, Amstelod. 1667, de omnibus cometis, qui ante id tempus innotuerant, ordine historico agit. Quæ vero ex hac comparatione percipimus, sequentia sunt.

p. 44. (1066) C addit: *Sèn kómeta á páschum* (*Scr. rer. Dan.* III. p. 45); *Lubienitz* — qui hunc cometen cum Haraldi Godvinii caede et Anglia ab Wilhelmo Normanno subacta conjungit — II. p. 187: "1066 cometes in festo paschali XIV noctibus effulsit".

p. 96. (1222) *sèn kómeta. Lubien.* p. 232: "Variis prodigiis insignis annus fuit. Stella crinita visa." In *Er. Bartholini* de cometis anno 1664 et 1665 opusculo (Havn. 1665), p. 88, dicitur *Resenius*, secutus *annales Islandicos* (quos demum seculo XVII. conscriptos fuisse probabile est), de hoc cometa his verbis commemorasse: "A. 1222 sol sanguineum repraesentavit colorem, et visus est *cometa*, quartaque ignis evomitio montis Heclae facta est, qualis prima fuit A. 1104, quo visus est sanguis e pane emanare."

p. 114. (1240) *sèn kómeta. Lubien.* p. 238: "Cometes circa *polum septentrionalem* conspectus est."

p. 143. (1273) *sèn kómeta í Noregi. Lubien.* p. 245: "Mense Julii—Augusti stella quaedam apparuit, quae a se mirae magnitudinis radios emittebat."

p. 175. (1298) *sèn kómeta. Lubien.* p. 248: "Apparuit cometa mirae magnitudinis et vagus".

p. 178—80. (1301) *sèn kómeta um allt Ísland ok í Noregi... Cómeta var sèn af kaupmönnum í hafi mikkjálsmessu; sýndist hún þeim meiri ok dökkvari, enn aðrar stjörnur, ok var á kleppr niðr, ok fór hvern aptan, er þeir sá hana, öfugt frá landnorðri til norðrs. Fyrir sunnan land var sèn kómeta hálfan mánuð nær vetrnóttum.* i. e.: Cometa visus per totam Islandiam et in Norvegiam .... Cometa mercatoribus in oceano visus circa festum Michaëlis, qui, reliquis stellis major obscuriorque, in massam quandam (vel tuberculum) inferius desinens, quovis vespere a caecia motu retrogrado ad septentrionem ferebatur. In australi Islandia per XIV dies prope initium hiemis cometa visus. *Lubien.* p. 249: "Cometes in coelo apparuit".

p. 182. (1302) *Kómeta var sèn í Björgyn móti lángaföstu, en ı Róma fyrir páska. Lubien.* p. 251 annis 1302 et 1303 cometas adscribit. Illorum cometarum, quorum alter hoc, alter superiore anno apparuit, secundum annales Islandicos meminit *Er. Bartholinus* in eo, quod jam antea citavimus, opusculo *de cometis a.* 1664—65, p. 88.

p. 210. (1316 vel 1317) *sást kómeta á himni á Íslandi optlega frá fyrstu jólanótt allt til purificationem beatae Mariae.* i. e.: Cometa in Islandia e prima nocte festi Jolensis usque ad diem II. Februarii frequenter visus est. *Lubien.* p. 255—56 mentionem facit cometarum, qui annis 1315 et 1318 apparuerint.

p. 326. (1375) *Sèn kómeta undir Eyjafjöllum. Lubien.* (p. 269) cometen hoc anno conspectum esse, errorem judicat, ortum ex antiquioribus scriptoribus male intellectis.

p. 338. (1285) *Sén kómeta. Lubien.* p. 271: "1382 cometa per 14 dies flagrans apparuit."

Indices Additamentorum.

Index Personarum.

L

Index geographicus.

Index rerum & vocabulorum rariorum.

ÍSLENZKIR ANNÁLAR

FRÁ KRISTS-ÁRI 803.

ANNALES ISLANDICI

AB ANNO 803.

803 H. (Konúngr Gautrekr í Danmörku herjaði í þýzkalandi.)

806 H. (Fall Gautreks Dana-konúngs ok nítján þúsund manna með hânum *a)*.)

808 L. *in marg.* (Var fyrst Danavirki bygt.)

809 A. 813 L. 816 C. Hófst ríki Ragnars Loðbrókar *b)*.

810 ABDFHI. Dráp Friðreks *c)* Frísa *d)* höfðíngja ok Guðraðar Jóta konúngs.

812 A. Segja sumir hefjast ríki Ragnars Loðbrókar.

815 L. (Hemíngr var þá konúngr í Danmörku. Hann gjörði eiðsvarna sátt ok frið við keisara Loðvík. Eptir Hemíng varð Sigurðr Hríngr konúngr í Danmörku. Hans son var Ragnar Loðbrók. Hann varð konúngr í Danmörku at sínum föður lifanda ok stýrði lengi síðan. Hann var mikill hermaðr ok vann mörg lönd ok ríki undir Danmörku. Hann hafði stórar orustur við Harald konúng Klakk, sem Jótlendir tóku sér til konúngs móti Ragnari, ok rak hann Harald þrisvar á flótta. Umsíðir flýði Haraldr til keisara Loðvíks ok bað hann liðveizlu, enn keisarinn synjaði hânum þess nema hann tæki rètta trú, ok umsíðir skírðist Haraldr, ok fèkk keisarinn hânum mikit stríðsfólk, svâ Haraldr tók inn Slesvíkur hertugadæmi af Ragnari konúngi, ok bygði þar kyrkju. Hann var sá fyrsti sem kristnaði í Danmörku mikit fólk; en er Ragnar spurði þetta, rak hann Harald af sínu ríki ok niðrbraut kyrkjur ok kristinndóm, en setti í staðinn villu ok vantrú. En Haraldr er hann sá þat hann var yfirunninn, rænti hann kyrkjuna, ok fèll frá Guði sínum skammliga. Eptir þetta fèkk

a) Perperam ad h. a. H. Íngólfr fór til Íslands annat sinn, *itemque ad* 808 Grönlands fundr. *b)* Upphaf ríkis Ragn. Loðbr. EG. *c) pro* Dráp Friðriks &c.]

803. *Gautrekus rex Daniæ bellum gessit in Germania.*
806. *Clades Gautreki Danorum regis et* 19000 *militum.*

808. *Vallum Dannevirke tunc primum exstructum.*
809. *Incipit regnum Ragnaris Lodbroki.*
810. *Cædes Friderici Frisonum ducis et Gudraudi regis Jutorum.*

812. *Hoc demum anno incipere regnum Ragnaris Lodbroki nonnulli tradunt.*

815. *Isto tempore Hemingus rex Daniæ erat, qui cum imperatore Ludovico pacem fædusqve sancivit juramento confirmatum. Sigurdus vero Hringus in locum Hemmingi rex Daniæ constitutus est; ejus filius erat Ragnar Lodbrok, cui vivo adhuc patre Daniæ regnum cessit, quod exinde diu administravit. Hic rex ingens bellator multas regiones regnaqve Daniæ adjecit. Prælia magna gessit cum Haraldo Klak, rege adversus Ragnarem a Jutis electo, eumqve tribus vicibus in fugam egit. Tandem Haraldus ad imperatorem Ludovicum confugit auxilium petens, qvod illi imperator denegavit, nisi veram fidem amplecteretur. Haraldus demum baptizatus ingentes adeo copias ab imperatore nactus est, ut Slesvicensem Ducatum regi Ragnari eriperet, templumqve ibi exstrueret. Hic rex christiana religione in Dania primus multos imbuit, quod ut Ragnar audivit, Haraldum e regno suo expulit; templis undique devastatis, expulsaqve religione, cujus loco erroneas superstitiones introduxit. Haraldus autem, cum se victum animadverteret, templum spoliavit, defecitqve â Deo suo*

Voru drepnir Hrærekr &c. L. pro Friðriks] Hræreks FHIK Eiríks BD. *d)* Frísadólgs BD.

Ragnar konúngr makliga hefnd fyri sinn grimmleik ok óguðligt athæfi, því eptir þetta vildi hann herja á England, ok hefna sinna mótgjörða á Helli eða Halli konúngi af Englandi, en lukkan var hânum þá óblíð vorðin, svâ hann varð þar fánginn, ok settr í fángelsi. Síðan bauð Helli konúngr at upp skyldi skera hans brjóst, ok kasta lifandi höggormum þar inní, hvörir at særa ok stínga skyldu hans hjarta, ok jók með því móti hans pínu, ok svâ er skrifat, at Ragnar konúngr hafi aldrí neitt æðru-orð talat. þetti hafði verit hans eitt hreystyrði: at grína mundu grísir, ef galta-böl vissu. En er konúngr varð þess vís, at hann átti börn á lífi, vildi hann hafa gefit Ragnari grið, en Ragnar var þá dauðr. þvílíkan dauðdaga fèkk Ragnar, sem var hinn hraustasti hermaðr, hann varð at líða þann sárasta dauða:

Lukkan er af glerí gjör,
þá er gengr manni helzt í kjör
ok hún skín sem skærast má
skjótliga brotnar hún optast þá.

Ok er synir Ragnars frèttu líflát föður síns, brá þeim ólíka við. Ívar, sem var kallaðr hinn Beinlausi, sat ok horfði á leik nokkvarn, en er hann spurði tíðindin, bannaði hann mönnom at lètta leiknum, ok lèt eigi sína skemtun í neinu falla. Sigurðr Ormr-í-Auga var at telgja spjótskapt, er hann spurði fráfall föður síns, hann þagnaði ok gáði eigi at, ok stakk spjótinu í fót sér, ok fèkk mikit sár. Af Birni er þat sagt, at hann lèk at tafli, er hann fregnaði dráp föður síns, ok brá hânum svâ við at hann kreysti svâ teníngìnn, at blóð sprakk úr lófanum. þá er Helli spurði þetta, uggaði hann mest um Ívar, því hânum þótti hann grunsamastr ok líkastr til hefnda, sem síðan gaf raun á, því Ívar fór í England ok beiddîst föður-bóta af Hella konúngi. Konúngr varð glaðr við, þá hann heyrði þat. Ívar bað konúng fá sèr í föður-bætur svâ mikit af landi sínu sem öldúngs-húð tæki yfir. Konúngr játtaði því blíðliga. Síðan tók Ívar öldúngs-húð ok risti, sem hann mátti naumast, í mjóasta þveingi, ok lagði á land við sjó-síðu, ok bygði þar upp eina borg; segja sumir menn þat muni vera Lundún. Hann gjörði síðan brèf til bræðra sinna, ok drógu saman ógrynni hers, ok unnu England, en tóku Hella konúng. Síðan

